

ANTIMARTINVS,

SIVE

Monitio cuiusdam Londinensis ad *Adolescentes vtriúsque Academiæ,* contra personatum quendam rabulam, *qui se Anglicè*

MARTIN MARPRELAT,

Hoc est,

Martinum Μαστιγάρχον, ἢ μισάρχον vocat.

Rom. 16. vers. 17.

Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοί, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε ποιοῦντας· καὶ ἐκκλίνατε ἀπ᾽ αὐτῶν.



LONDINI,

Excudebant Georgius Bishop, & Radulphus Newbery.

Anno Domini,

1589.



Erpulchram iuuentutis educandæ curam Persæ veteres mihi videntur habuisse. Apud quos morem fuisse dicit Xenophon, vt illorum pueri non solùm sub diligentissimis præceptoribus iustitiam discerent; sed & in senum conspectu semper luderent. Hanc enim ob causam euaserunt rerum æstimatores peritissimi, nec non in omni vitâ temperatissimi modestissimíq;. Vtinam etiam Anglorum disciplinam hoc nomine mihi prædicare liceret, laudaréq; apud nos tùm Senum in adolescentibus instituendis solertiam, tùm Adolescentum in Senibus imitandis pietatem.

Sed mores nostri quanto hîc sunt solutiores; tanto maiorem gratiam merētur illi, quos non lex vel consuetudo cogit, sed sua voluntas potiùs suadet fructus ingenij sui multo labore longáq; experientiâ conquisitos tyronibus delibandos exhibere. Hoc autē cum in omni scientiâ sit laudabile; tum maximè in ijs studijs, quæ spectant animæ salutem; nec tam istius vitę commodis, quàm futuri sæculi gaudijs inseruiunt: præsertim his temporibus, quæ tam discrepantes religionum varietates pepererūt, & in tam multiplices opiniones mentes nostras distraxerunt; vt (tanquam liquescentibus iam coelis, vltimóq; fine rerum imminente) priùs vniuersi rationem nostrorum operum Christo Iudici reddituri, quàm pauci in diuini cultus vnitatem coituri videamur. Nam in omni Rep. religionis cura semper antiquissima esse debet, primóq; loco rerum diuinarum administratio probè constitui; deinceps reliqua vitæ bona tanto celeriori pede subsequentur.

Hoc mihi diu multúmq; cogitanti; serenissimæq; Principis nostræ summam in Euangelio hîc plantando sanctitatem, vigilantissimam in stabiliẽdo curam, ardentissimum in propagando studium perpendenti, profligatissima iam pridem planéq; execranda visa est illorum hominum impietas, qui receptam ecclesię nostræ disciplinam obruunt suis ineptijs, eiúsque statum diuturnâ pace mirificè iam confirmatum, inauditarum nouitatum inuectione peruellunt ac demoliuntur. Quam ipsorum tam insignem audaciam, cùm nec clementissimæ prudentissimorum virorum monitiones retardare possint, nec leges cohibere: proximum tanti mali remedium hoc mihi videtur; vt, si qui sint, quos hæc labes adhuc non infecit; illorum animi præoccupentur, quantum fieri potest; & tam pestiferæ turpissimorum errorum contagioni præcludantur. Huic verò non aptior est locus, quàm vtráq; Academia, quę tanquam fontes sunt, vnde tota Resp. doctrinarum salubritate religionísq; puritate riganda est. Ipsi enim fontes si fecem contraxerint, riuuli quidem ab ipsis dimanantes synceritatem suam retinere non possunt.

Cùm igitur nuper exortus sit quidam personatus *Martinus*, qui prędecessorum suorum futili leuitati summam etiam dementiam, ac petulantissimam maledicendi licentiam adiunxit; libellósq; suos mendacijs, conuicijs, omníq; nequitiæ genere refertissimos (nescio quibus è latebris) in vulgus emiserit: statim timere cœpi, ne in mentes vestras (Iuuenes Academici) ex improuiso posset influere, sensúsq; vestros non satis adhuc confirmatos & perfectos, suis turpissimis illecebris deprauare.

Quamuis igitur plurimos esse minimè dubitem, qui non solùm maiori scientiâ, sed & eloquentiâ longè

gè ſplendidiore veſtros animos contra neſarias *Martini* aſtutias præmunire ac corroborare poſſent: quòd tamen aliorum induſtriam vel ipſe labor frangat, vel inuidia retardet, vel acerbiſſima *Martini* lingua deterreat, vel fortè grauiſſimæ Reip. occupationes impediant: Ego quidem omnium infimus duxi pertentandos hoc in genere meos neruos; viríſque doctiſſimis exponendum, quanto meliùs hoc onus ipſi in ſe ſuſcepiſſe potuiſſent, quàm mihi frigido nimis & ieiuno Patrono reliquiſſe. Cùm viderint enim hanc cauſam exiliter à nobis tractatam, quam ipſi ſcitiſſimè perorasſent: non tam ægrè ferent mihi in eâ ſuſcipiendâ deſuiſſe conſiderationem, quàm ſibi ipſis in negligendâ beneuolentiam.

Flagitare etenim videtur (optimi adoleſcentes) non Academiarum tantùm, ſed & totius noſtrę Reip. ſalus, vt aliquis huic audaciæ ſeſe obijciat; vóſque, quibus ille maximè cupit imponere, de vafrâ ac malitioſâ illius verſutiâ præmonere. Non quòd vobis ipſis literæ multæ, non quòd acutiſsima ingenia deſint: ſed quòd tales adhuc per veſtram ætatem ſitis, qui rectiùs poteſtis de verborum delectu atque orationis virtutibus, quàm de rerum pondere ac momento iudicare. Nec moleſtè (quæſo) feratis hanc noſtram ſuſpicionem in eo, quòd verborum lenocinijs vos capi poſſe putem; cùm vltima omnium celſiſſimáque prudentia ſit in rebus abſtruſis, præſertim in theologiâ, verum à falſo diſcernere. Sed amorem noſtrum amplectimini potiùs atque exoſculamini, qui vos iam ad virtutis ac prudentiæ culmen ſtrenuè contendentes, & ad omnes Reip. dignitates expectatos, è viâ deduci non patitur tam impuri hominis delirijs; ſed cupit potiùs in illis veſtigijs vos continere, per quæ multos Maiores veſtros duæ illæ Matres indulgentiſſimæ non tantùm

ad ſummum ſapientiæ gradum, ſed & celſiſſimum honoris faſtigium extulerunt. Quos vt indubitata ſpe, minimóque cum præiudicio ſequamini; primùm oſtendam vobis quis ſit, qui iſtas inſidias vobis poſuit: deinde in omne vitæ officium quàm turpiter impegerit.

Ac vt exiſtimationis ſuę fundamenta concinnè iactet, primò nomen ſuum ridiculè quidem ementitur, ſéquę (ſi Deo placet) *Martinum Marprælatum* appellat. *Marprælatum* autem, hoc eſt, μαστιγάρχον ſe dici cupit ab effectis, ad quæ collineat, ſed nunquam eſt aſſecuturus. Conatur etenim & plurimorum innocentiſsimorum *Prælatorum* vitas falſiſsimis criminationibus aſpergere, & in omnium fortunas apertis faucibus inuolare, nomen denique ipſum è rerum natura delere atque tollere. Hic vir minimè clarus è lupanari aliquo, quantùm ſuſpicor, (nam domicilij ſui non minùs eum pudet, quàm nominis) tres propter ſcurrilitatem ineptiſsimos, propter malitiam impuriſsimos libellos in lucem eiecit, quibus fœdiſsimas labes ornatiſsimis ſanctiſsimiſque noſtris Prælatis, doctiſsimiſque huius Eccleſiæ Miniſtris voluit quidem multas, ſed reuera potuit nullas inurere. Singula illius mendacia percurrere planè eſſet infinitum: quippe libri ſui non verbis magis, quàm impudentiſsimis fictionibus refarciuntur. Satis igitur ſit dicere: quòd quicquid in illis libellis grauiori quenquam onerat ignominiâ; totum illud malitioſè finxerit: quicquid facetum eſſe videtur, neque fortiùs aliquem premere; totum illud ſpurciſsimis Mimorum ſcenis ridiculè ſubduxerit.

Hunc ego virum ſtatui perſtringere, vobiſque (qualis qualis ſit) non tam ludicrè deridendnm, quàm ſeriò fugiendum propinare.

Duplex

Duplex autem hîc ſuboritur mihi cum *Martino* controuerſia. Prior nimirum de via, rationéque, quâ diſciplinam ſuam aggreditur, & ſtabilire cupit. Altera de naturâ & veritate noui & repurgati dogmatis. Illam ſolùm hæc noſtra oratio pertractabit; præſertim cùm hæc maioris ſit ſtudij, longiorémque multò expoſcat indagationem, quàm ego ſtatui perſequi, priuſquam intellexero illas huius orationis eſſe vires, quæ futuræ meæ diligentiæ cupiditatem aliquam in vobis excitare poſſunt. Hoc etenim hactenus vita noſtra obſeruauit, vt ſponte nunquam in arenam deſcenderim. Et nunc ſi iſtas primitias illorum palatis minùs arridere ſenſero, quorum in gratiam illas conſecraui; quamprimùm equidem conquieſcendum mihi cenſeo, reliquúmque ætatis meæ tempus domi mihi (quod aiunt) & Muſis tribuendum.

Nunc igitur vt admiremur, ſuſpiciamúſque tanquam cælitus dimiſſam huius Pandoræ cornucopiam; veraſque reformatoris noſtri pollicitationes concedamus: oſtendam tamen *Mercurium* hunc in exponendâ legatione ſuâ, primùm in communem politiam; deinde in expreſſas leges omnium laudatarum Rerumpub. tertiò in theologiæ fundamenta ſtupidiſſimè deliquiſſe. Hæc enim ſi priùs vobis conſtiterint; tum neceſſum eſt vel de *Martini* fide multùm apud vos diminui; vel ſaltem phreneticum hoc nouitatis deſiderium priſcam illam veſtram modeſtiam in intractabilem obſtinatiam, & ſolitam indolem in extremam deſperationem conuertiſſe.

Hoc autem vt perſpiciatis; intelligendum vobis eſt, primis illis ciuitatum Rerúmq; pub. conditoribus tantæ ſolertiæ finem propoſitam fuiſſe tranquillam pacatámque vitæ degendæ rationem. Cuius etiam cauſâ non ſolùm muros extruxerunt, arma fabricati

ſunt,

ſunt,munimenta excogitarunt, quibus externorum impetus depellerent: ſed domi etiam leges ſanxerunt,quibus ciuilem diſcordiam, communiſque ſocietatis diſſolutionem euitarent. Leges autem vel vniuerſæ ciuium ſaluti, vel ſingulorum vtilitati proſpiciebant.Quæ verò vniuerſorum ſtatum ſpectabant, iuris publici: quæ priuatorum commoda præcipuè cõtinebant,iuris priuati nomen ſumpſerunt. Ius publicum religionem, Numiníſque cultum primò; deinde rerum externarum vitámque ciuilem tangentium administrationem comprehendit.

Sed cùm leges quaſi exangues iaceant atque intermortuæ,niſi ſit, qui vitam illis atque animam executionis aſsiduitate ſuffundat:etiam ſelecti ſunt quidam è populo viri præſtantiores, qui legum exequendarum curam in ſe ſuſciperent,legúmque quaſi magiſtri eſſent,& ideò Magiſtratus appellarentur. Atque hij Magiſtratus cùm iuſticiæ diſpenſationem legibus conſentaneam habeant; apud benè conſtitutas Reſpub.nihil vnquam fuit antiquius, quàm ſumma non ſolùm erga horum perſonas veneratio; ſed etiam erga ipſorum præcepta iuſsionéſque reuerentia. Sic vt prætereunti Magiſtratui non aſſurgere,Romæ quidem inſignis eſſet contumelia: Cæcúſque, quamuis iuris peritiſsimus, ad publicum aduocandi munus non admitteretur, quòd in ſubſellia aſcendens Prætorem conſpicere non poſſet, nec igitur illi debitam reuerentiam exhibere.

Sed inter reliquos non Ethnici ſolùm,ſed Iudæi & Chriſtiani maximo ſemper honore illos habuerunt, quibus religionis cura,rerúmque diuinarum adminiſtratio commiſſa eſt. Atque hinc fit, quòd Homerus (quem ſub fictæ hiſtoriæ tanquam vmbrâ totius humanæ vitæ munus & officium comprehendiſſe ſapientiſsimi

entissimi credunt) propter *Chrysen Apollinis* sacerdotem malè tractatum ab *Agamemnone*, pestem sæuissimam *Græcorum* exercitum miserrimè cruciasse dicat. Apud veteres quoq; non solùm *Lacedæmonios*, sed *Latinos, Romanósq;* in more fuit; vt ipsi reges Sacerdotes etiam essent, Dijsq; suis manibus sacrificarent. Póstque exactos *Romanorum* Reges propter illam *Tarquinij* nequitiam, cùm iam non esset, qui illas religionis suę vices suppleret; non solùm propter ipsius officij necessitatem sacrificulum statim creandum censuerunt: sed etiam, quòd Deorum cultui non nisi summos honorificósq; viros præficiendos existimarent, Sacrificulum hunc è patribus elegerunt, *Regémq; Sacrificulum* nominarunt.

Apud veteres etiam *Gallos*, eorum hominum qui in aliquo fuerunt numero & honore, duo fuisse genera historia prædicat. Quorum alterum fuit *Druidum*, alterū *Equitum*. *Druides*, quòd rebus diuinis prȩessent, sacrificia procurarent, religionésq; interpretarentur; magno quidem apud illos honore fuerunt. Si quod admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia foret; ijdem discernebant, præmia pœnásq; constituebant. Si quis aut priuatus, aut populus eorum decreto non stetisset, eum sacrificijs interdicebant. Quibus autem ita fuit interdictum, ij numero impiorum ac sceleratorum habebantur. Ab ijs omnes decedebant, aditum eorum sermonémque defugiebant, ne quid ex contagione incommodi caperent. Neque ijs petentibus ius reddebatur, nec honos vllus communicabatur. Certo anni tempore ad illos in mediâ *Galliæ* regione considentes, omnes vndíque, qui controuersias habebant, accedebant; eorúmq; iudicijs decretísq; parebant. *Druides* autē bello abesse consueuerunt, neq; tributa cum reliquis pen-

 debant,

debant, militiæ vacationem, omniúmq; rerum habebant immunitatem.

Sed Ethnicorum reuerentiam erga Sacerdotes nihil declarat apertiùs, quàm illud *Alexandri* Magni facinus. Cui *Iudæam* armis aggredienti, iam iámq; *Hierosolymam* (vt putabatur) oppugnaturo, cùm *Iaddus* Pontifex sacerdotibus & vrbanâ multitudine comitatus obuiam veniret: *Alexander* videns è longinquo candidatum populum, & Sacerdotes ante agmen in amictu byssino, Pontificémque in stolo hyacinthinâ auro distinctâ, tiaram in capite gestantem cum præfixâ laminâ aureâ, quæ Dei nomen insculptum habebat; solus ad eum accedens nomen illud adorauit, & primus salutauit Pontificem. Iudæis autem omnibus vno ore consalutantibus *Alexandrum*, & in orbem cingentibus; *Syriæ* Reges (qui illum in exercitu sequebantur) reliquíque obstupuerunt, vix credentes Regem mentis compotem. Solus *Parmenio* propiùs accedens rogauit quid ita, cùm ipse adoraretur ab omnibus, nunc adoraret *Iudæorum* Pontificem? At ille nō hunc se adorasse respondit; sed Deo, cuius Pontifex esset, honorem illum exhibuisse: Ac si amorem nostrum erga Deum non declarari meliùs, quàm in honore Sacerdotibus suis dato, Princeps ille maximus iudicasset.

Sed quid tam multa de Ethnicis, cùm ipse Deus exercituum Deus noster *Aaronem* sic in Sacerdotium religionísq; præfecturam segregauerit, vt non solùm in delectu suo generis nobilitatem respexisse; sed etiam in ipso quem illi præscripserat ornatu, reuerentiam, & honorē eius cogitasse meritò iudicetur? Quod etiam indè manifestum est; quòd Pontifex summus Tribus *Leuiticæ* princeps, ac quasi dux esset; quam Tribum Deus sorte prædiorum orbauit in religionis ac diuini cultus officium segregatam, summísq; alijs

præmijs

præmijs & honoribus decorauit. Nam & participes eorum quę sibi oblata erant, effecit; & solùm cultum eius tractare, tanquam curam sortémque propriam, voluit.

Sic etiam *Abrahami* temporibus Regis *Melchisedechi* dignitati Maiestatíq; multum adiectum esse visum est, quòd illum cum imperio iustè viuentem, summo sacerdotio dignum etiam Deus iudicaret.

*S*i recentiora adhuc tempora, Christianorúmque morem placeat intelligere; nullũ bonum principem reperiemus, qui multis prærogatiuis Episcoporum statum non exornaret; nullam rectè constitutam Rempublicam, quæ Sacerdotes Deíque ministros summâ veneratione non haberet. Ita vt vel in Principibus bonitatem, vel in Republica disciplinam certioribus argumentis historici non laudauerint, quàm vt sacrorum virorum singulos ordines maximis beneficijs auxerunt, amplissimísque dignitatibus honorarunt.

Atque inter reliquos *Constantinus* ille magnus Episcoporum authoritatem tam modestè suspexit, reueritúsque est; vt *Donatistis* nonnullis *Cæcilianum* orthodoxum Episcopum *Carthaginis* apud eum multorum criminum accusare cupientibus, singulari cum æquabilitate responderet (*Petitis à me in sæculo iudiciũ, cùm ego ipse Christi expectem iudicium?*) darétq; eis Iudices, *Maternum Agrippinensem, Rheticum Augustodunensem* Episcopos; atque *Miltiadi* Episcopo Romano scriptis literis huius causę cognitionem, vt propriam commendaret. Cùm autem *Cæcilianus* Episcoporum iudicijs absolutus esset; *Donatistæ* iterum ad *Constantinum* reuersi, causam hanc neque totam auditam, neque ritè iudicatam conquerebantur. Quare, vt nouo eum iudicio committeret, postularunt. Itaque *Con-*

ſtantinus alterum iudicium hâc de re indixit, alióſque multos Epiſcopos ad hoc negotium conuocauit. Epiſcopi, cauſâ cognitâ, *Cæcilianum* iterum innocẽtem pronunciant. Eâ re perculſi aduerſarij *Conſtantinum* denuò appellant, eámque rem vt ipſe cognoſcere velit; orant. Cùm ille poſtulatum huiuſmodi reieciſſet, ac talem cognitionem vt parùm homini Laico conuenientem repudiaſſet: tamen ad extremum vehementibus eorum flagitationibus victus ceſſit, & ab Oriente primò *Romam*, deindè *Mediolanum* ad hanc litem dirimendam iter fecit; vbi cauſâ demum cognitâ, *Cæcilianum* innoxium, aduerſarios improbiſſimos pronunciauit, ac res eorum fiſco addixit.

In quâ hiſtoriâ tria mihi videntur ad noſtrum propoſitum maximè conſideranda: Iudicium ſanctiſſimi Chriſtianiſſimíque principis, quo perſonarum Eccleſiaſticarum cauſas Epiſcoporum cognitioni delegandas cenſuit: Laboris, itinerı́ſque tolerantia ad innocentiam Epiſcopi manifeſtandam, cùm ex ſuperiorum Iudicum ſententiâ *Cæciliano* falſa crimina intentari crederet: Summa denique ſeueritas in illorum accuſatorum malitiâ coercendâ, quos iniuſtiſsimis calumnijs venerandum patrem afflixiſſe perſpiceret.

Aliud etiam audite tam magni, támque pij Imperatoris factum. Dum cogebatur *Nicenum* Concilium; fuere, qui vnitatis Eccleſiaſticæ perturbandæ cauſâ, Libellos accuſationum aduerſus coepiſcopos *Conſtantino* obtulerunt, & qui neglectâ cauſâ religionis, hoc potiſsimùm agere videbantur. Itaque Diuus *Conſtantinus*, quò malum illud prohiberet, diem ſtatuit; ad quam vnuſquiſque, ſi querelam aut accuſationem inſtituere vellet, conueniret. Igitur allatos Libellos proprio lino, propriáque cerâ conſignauit: deinde

de in medio conuentu, ſacramento præſtito ſe eos non inſpexiſſe; *Quia Dei optimi maximi & beatorum Pontificum, non etiam mea hæc notio & animaduerſio eſt* (inquit) *atque adeò non expedit crimina ac iurgia Presbyterorum innoteſcere, ne plebs ad delinquendum propterea audacior fiat*; Libellos eos omnes comburi, & accuſationes aboleri iuſsit. Quin imò & illud addidiſſe dicitur, *Si Epiſcopum in adulterio deprehendiſſet, ſe occulturum eum ſuâ purpurâ, ne ab alio animaduerſus exemplo magis, quàm facto noceret.*

Omnium etiam hiſtoricorum ſcriptis tritum eſt illud *Ambroſij* facinus in abſtinendo (vt tunc loquebantur) Theodoſium Imperatorem propter homicidium. Quam viri ſanctiſsimi caſtigationem nec tam patienter pertuliſſet inuictus princeps, nec tantâ cum humilitate ſcelus ſuum expiaſſet; niſi putaſſet illius authoritatem verbo Dei ſeptam fuiſſe & communitam.

Sed hîc infinitus eſſe poſſet, quicunque in hiſtorijs vel mediocrem diligentiam poſuit. Quippe illud *Pauli* præceptum non plebi tantùm, ſed & principibus Chriſtianorum ſemper fuit religioſiſsimum, quo nobis obedientiam imperauit erga illos, qui curam animarum noſtrarum ſibi commiſſam retinerent. Ita vt non Paganorum tantùm, ſed & multò magis Iudæorum veterum, Chriſtianorúmque obſeruationem hanc conſtantiſsimam perpetuámque fuiſſe videatis; vt ad nomen quaſi atque nutum ſacrorum pontificum ſuorum contremiſcerent; & tum denique vel publicarum vel priuatarum rerum expeditionem rectè ſuſceptam eſſe crederent, cùm eam intelligerent Antiſtitum ſententiâ comprobari.

Atque hoc certè ſummâ ratione non caruit. Vt etenim numen aliquod non eſſet, quod hanc mundi fa-

bricam, hominúmque actiones suâ potentiâ regeret ac disponeret (quemadmodum nimis multi nunc dierum perniciosè, falsóque blasphemantur:) nihil tamen est, quod hominem in officio faciliùs continet, vel inde aberrantem in gyrum rationis citiùs reuocat, quàm opinio illa, quam de iusto summi Moderatoris iudicio retinemus; & illa admiratio, quam de illius Sacerdotibus atque ministris ipsa Conscientiæ vis omnium mentibus insculpsit. Idque nullo argumento manifestiùs, quàm ex improbissimorum hominum consuetudine apparet. Detur enim sicarius omnium profligatissimus perditissimúsque; ille in venerabilis cuiusquam ministri commercium tractus, personatam statim grauitatem induit, & vel miram sanctitatem confestim simulat, vel ad minus efferatos prauitatis suæ impetus ad tempus sic temperat atque cohibet, vt iustæ reprehensionis causam in illo non inueneris. Quod profectò non faceret, nisi mentem eius aliqua Numinis opinio imbuisset, contumeliásque ministris suis factas ipsum pertingere firmissimè crederet.

Vnde mihi *Iohannes Bodinus* multùm placet, qui *malam, quàm nullam religionem præstantiorem* esse dicit. Vt etenim illi verè dicant, qui malam religionem animarum nostrarum salutem nihil promouere asserunt: multùm tamen illa conducit ad communem tranquillitatem pacémque Reip. Siquidem si sic nobiscum comparatum esset, vt nec diuini iudicij timore, nec religionis conscientiâ percelleremur: quis est omnium, qui domum non haberet clausam pudori & sanctimoniæ; patentem atque adeò expositam cupiditati & voluptatibus? Quis, qui rem domi angustiorem sentiens, ab alienis pecunijs manus detineret? Quis, qui ad cruentissimam leuissimarum iniuriarum

rum vindictam cursu incitatissimo non contenderet? Quis, qui frugalitati luxum, modestiæ rapinam, disciplinæ confusionem non anteponeret? Boni etenim & mali distinctionem religio primùm induxit, quâ carentibus nobis, vel non commotis; nec rectę laudabilésque actiones voluptatem aliquam afferrent, nec iniquæ pudorem. Hinc etenim fit, quòd bonis illam pacatissimam animi tranquillitatem atque ἀπαθείαν *Stoici* tribuant; quódque furijs infernis improbos & iniustos agitari poetæ fingant; quia illi rectè factorum suorum iucunditate perpetuò delectantur; hij continuis malæ conscientię morsibus corroduntur, nequitiæque suæ quotidianâ recordatione miserrimè cruciantur.

Quamobrem Paganos suis *Pythijs*, *Flaminibus*, & *Sacrificulis*; Iudęos suis *Pontificibus*, *Sacerdotibus*, & *Leuitis*; Christianos *Archiepiscopis*, *Episcopis*, reliquísque Ecclesiæ ministris non sine summâ consideratione tantos honores exhibuisse conspicimus. Siquidem cùm barbarissimas, incultissimásque omnium nationes quędam religionis vis & ἐνεργεία ad diuini Numinis timorem & cultum excitauerit; tum isti non aliter, ac si mediæ cuiusdam naturę essent, & apud Numen hoc pro populo semper intercedere putentur, & populo illius adorandi pacandíq; rectam rationem atque formam pręscribere. Nam non solùm omnia bona cœlitus profluere, sed etiam tanquam per horum manus ad se deriuari firmissimè credunt. Illis igitur humaniter tractatis, Numen hoc pacari putant: grauiùs exulceratis, ad iracundiam & vindictam prouocari.

Ita vt nequissimus ille *Nicolaus Machiauellus*, qui religionem ad appetitus & ambitionis normam inconstantissimam semper flectit & intorquet; sanctissimam tamen pietatis speciē non solùm morū suorū fictione,

sed

ſed bonorum hominum commercio Principi ſimulandam eſſe prædicet: Quia hunc religionis contemptum tanta ſtatim diſſolutio ſubſequatur; quanta publicę tranquillitatis vincula perfringit, plebíque in horrendam imperij diſtractionem tanquam regiam viam patefacit.

Videtis igitur (eruditi iuuenes) *Martinus* hic non ſolùm quantum ab hominum religioſorum pietate deflexerit; ſed ipſorum ἀθέων impietatem quàm immẽſis ſpacijs ſuperauit. Non etenim ille ſatis eſſe exiſtimat, vt nouæ ſuæ, & apud Maiores noſtros nunquam nominatæ diſciplinæ iactatione ſibi placeat; niſi etiam in ſacrorum Præſulum vitas inuolet, ipſorúmque exiſtimationem perditiſſimis ſuæ ſectæ nebulonibus deridendam turpiter exponat.

Quæ dementia ſua, non adhuc dico, quàm impudicè in ſacras ſcripturas & integerrimas Theologiæ regulas deliquerit; ſed ab vſitatâ vitæ ciuilis conſuetudine, quàm imprudenter aberrauerit. Siquidem exempla cunctarum penè nationum ſuperiùs recitata demonſtrant, ab honore religioſorum hominum ipſam religionem magnâ ex parte dependere, plebémque exemplis ſacerdotum, quàm doctrinâ, multo vehementiùs commoueri.

Sed *Martinus* cùm Antichriſtianam hanc (ſi Deo placet) Papiſtarum hierarchiam cum ipſo ſolo coæquandam duceret, ídque ſuggerente nouo quodã ſpiritus inſtinctu: non illud faciliori ratione perfici poſſe exiſtimauit, quàm imitatione diſertiſſimi viri *Cœlij Secundi*, qui *Paſquinum*, id eſt, hominum *Romanenſium* ſordes conflaſſe, & in lucem emiſiſſe creditur. Huius etenim exemplo *Martini* defenſores mordicus adhæreſcunt; & noſtros Præſules, (qui omnes *Paſquinum* ſummâ cum delectatione legerunt & exoſculati ſunt) affirmant

affirmant *Martinum* non ſine ſummâ iniuriâ reſpuere. Quippè idem vtriuſque ſcopus, eadémque hunc ſcopum attingendi ratio.

Non inficior illam eſſe generis noſtri, neſcio dicam imbecillitatem, an malitiam; vt nimis ſollicitè delicta illorũ ſpecioſis nominibus conemur obducere, quos in partes noſtras propendere cernimus. Sed vt verè dicam, quod ſentio, ídque bonâ cum veniâ viri illius longè doctiſſimi, cui fama communis *Paſquinum* affingit; illa perſonarum exagitatio, quâ *Paſquinus* vtitur, via ad religionem omnium eſt non impeditiſſima ſolùm, ſed etiam peſſima atque iniurioſiſſima. Nam ſi ad fidei orthodoxæ propagationem perſonales inuectiones prodeſſe fatebimur; non ſolùm *Christiani* Paganorum, vel Orthodoxi *Iudæorum* vitas reprehendent; ſed & ſpurciſſimi omnium, qui eſſe poſſunt, hæretici, cùm veram religionem ſinguli præ ſe ferant, falſiſſimas virorum ſanctiſſimorum criminationes perſequentur; aliquos etiam eorum, qui cum veris profeſſoribus ambulant, conuitijs ſuis obuios & apertos reperient, quorum mores inquinatiſſimi iuſtiſſimum ſcandalum Eccleſiæ Chriſtianæ procreabunt.

Quapropter Epiſcopi cuiuſdam noſtri, quamuis aliâs doctiſſimi ſanctiſſimíque viri, ſententiam nullo modo comprobare poſſum, qui non ita pridem *Paſquinos* iſtos non omninò reijciendos eſſe dixit; ſed parcè quidem, & ſolùm in interregno tolerandos. Cuius aſſertionis quia ſatis dignam rationem aſſequi non poſſum, nunc eam ſicco pede pręteribo. Tantùm hoc dicam, hunc plãtandę fidei modum ab ipſo *Chriſto* & Apoſtolis totáque eccleſiâ primitiuâ abhorrentem fuiſſe & alienam. Sanguis enim Martyrum ſemen eſt Eccleſię. Nec ad ſtabiliendam fidem Chriſtianam tantum vnquam valuit vel potentiſſimorum Regum ærarium, vel bellicoſiſſimorum Imperatorum virtus,

 vel

vel legionum cohortúmq; auxilium, vel prudentissimorum Senatorum cura, vel disertissimorũ virorum eloquentia; quàm pauperum, quàm nudorum & inermium, quàm plebeiorum simplicissimorúmq; hominum constans dolorum, atq; adeò mortis acerbissimę tolerantia & perpessio.

Sed si *Pasquino* cæterísq; eiusdem farinæ libellis locum aliquẽ concederemus; negamus tamen hinc ad *Martinũ* ius aliquod descendere. Quippe *Pasquinus* in generali quadã temporũ reprehensione totus collocatur; personarũ, quę tunc viuerent, multò minùs quę cum Magistratu essent; vel leuem descriptionem aliquam nusquam tenet. *Martinus* si hijsce Cancellis se continuisset, locum aliquem apud viros non malos meruisse poterat: Sed cùm nec religioni, nec innocẽtiæ, nec dignitati parcat illorum hominum, quos à disciplinâ suâ putat alieniores; vtcúnque apud tristes illos ac austeros rerum nostrarum animaduersores applausum aliquem reperiat; æquis tamen æstimatoribus iustissimum stomachum necessariò commouet.

Quippe obliuiscamur ad tempus illam charitatis normam, ad quam singulæ Christianorum actiones componendæ sunt; quid tamen vel ad communem disciplinam peius, quid ad exemplum perniciosius esse potest, quàm illorum hominum despicatio & contemptus, quibuscum vniuersa Resp. stat atque cadit? Inde *Thersites* apud *Homerum* non solùm corpore vastissimus, sed animo etiam deprauatissimus esse fingitur; quòd Imperatorum, qui curam eius exercitus splendidissimi gerebant, consilia detrectaret, & in illius belli duces non solùm gloriam, sed & salutem patriæ suæ cogitantes, petulantiùs inueheretur. Fingamus non vnum, aut alterum; sed omnes gregarios in *Thersitis* peruicatiam desciuisse: non solùm post nonum

num iam annum *Troiam* integram & intactã reliquiſſent; ſed ſinguli, excuſſo ſibi diſciplinæ iugo, turpiſſimam hoſtium barbarorum ſeruitutem ſubiuiſſent.

Præterea *Martinus* Accuſatorem ſe fortaſſe profitetur: cuius generis homines vt vulgo ſint odioſiores, quòd nemo ferè ſit, qui ſecuram delinquendi libertatem ſibi ipſi non expetit: neceſſarium tamen & vtilem habent locũ in omni Repub. Niſi etenim ſupplicij metus improborum hominum audaciam paululum cohiberet; & aliqui eſſent, qui hoc deferendi munus in ſe ſuſciperent: prauæ nonnullorum cupiditates nuſquam conſiſterent, ſed quotidie magis incẽderentur, non ſolùm ad priuatorum detrimentum, (qui potentiorum iniurijs plerúnq; exponuntur;) ſed ſæpè etiam ad perniciem & interitum totius ciuitatis. Hoc equidem ex omnibus ſingularum nationum hiſtorijs eſt exploratiſſimũ, ita vt exempla potiùs ad euitandum faſtidium hîc prætermittenda cenſeam, quàm ad rei tam claræ teſtimonium repetenda.

Hoc quidem veriſſimum eſſe confitemur: ita tamen, vt *Martinus* elargiatur hoc Accuſatorum genus neceſſarium eſſe magis, quàm honeſtum; Siquidem miſerum ex alienis iacturis lucrum ſibi quæritent; nec tam odio vitiorum, quàm priuati commodi violentiſſimâ quadam ac deſperatâ ſiti ad hoc ſugillandi munus impellantur: Sic vt *Titus* Imperator clariſſimus, delatores, qui propter prędam alios accuſârunt, cæſos flagellis aut fuſtibus deportari iuſſerit. *Martinus* igitur, ſi in ieiunum Informatorum cætum cooptari cupiat, (adhuc etenim non propter malitiam, ſed inſcitiam ſuam illo commercio videtur eſſe indigniſſimus) quoniam omnis cura famæ & exiſtimationis iam illi deponenda ſit, & lucri vndecunque conquiſiti ratio gnauiter ineunda; monen-

dum hominẽ esse censeo, Primùm, ne falsam inuidiam conflet hominibus innocentissimis, eos iniustè criminando. Quippe hic labor exitum plærunque sterilem procreat & infrugiferum, quòd piorum hominũ sanctimoniæ calumniæ mendaces diu non adhærescant; sed in ipsum calumniatorem nudâ tandem & inutili cum ignominiâ reuertantur. Deinde, ne hominem in delicto deprehensum statim in lucem efferat & præcipitet; sed, vt mysterium in imis præcordijs reconditum sepeliat atque comprimat; ne forsan aliquis alius eiusdem farinæ nepos vel accusationem suam penitus anteuertat, vel saltem sese immiscendo prædæ particulam aliquam sibi corrodat.

Sed vt hæc omittamus, istæ libellorum proiectiones non solùm ad illorum hominum dignitatem comminuendam, sed statum etiam euertendum, sine quibus Respub. eadem, quæ nunc est, permanere non potest; & mutationem inducunt, à quâ nunquam abest periculum; & subitam rerum perturbationem, quam fœlix euentus nunquam adhuc est consecutus. Atque huius rei in exemplum, iuuat *Romani* quidem imperij multiplices anfractus & statum inconstantissimũ breuiter vobis ob oculos proponere, vt in illo tanquam in clarissimo speculo conspiciatis fructus illos, qui ex temerariâ rerum mutatione proueniunt.

Ac primò vt illud *Tarquiniorum* exilium tam tyrannicæ potentiæ, támque immanis flagitij iustissimam vindictam fuisse non negemus: cùm tamen sub prætextu libertatis, quidam non solùm familiam *Tarquiniorum* extirpandam, sed & Regum nomẽ è medio tollendũ esse ducerent, prioremq; Reip. formam cum Aristocratiâ commutandã: non sine horrore considero, quàm inexpectatæ tragœdiæ, quàm acerbi tumultus, quàm truculẽtę strages subsequutę sunt. *Tarquinij*

etenim

etenim tam cõtumeliosam repulsam nõ ferentes, exterarũ nationũ imploratis auxilijs, ciuitatẽ primò oppugnarũt, deinde obsiderũt, nec inde tandẽ sine multâ Romani sanguinis effusione pellebãtur. Quibus penitus fusis & euersis, maxima pars calamitatis adhuc superest. Cùm etenim Optimatum statum instituissent; leges, quibus priùs regebantur, huic nouæ rerum faciei non cohærentes abrogandæ fuerunt, aliæque forinsecus mutuandę; sacrificiorum non ritus solùm, sed & ministri commutandi; noui magistratuum ordines excogitandi creandíque. Quarum rerum quanta fuerit difficultas, quámque anxia sollicitudo, non est cuiquam facilè conijcere, qui illam non degustauit. Sed cùm hæc omnia multis annis vix perficerentur, & noua iam esset forma ciuitatis; num hîc molestiarum tot tantarúmq; finis aliquis aut modus repertus est? Imò verò non multum fluxit temporis, cùm Consules plebem in officio continere non valentes, Dictatorem semestrem creare cogerẽtur. Cuius summa authoritas tanti apud populum momenti non fuit, quin etiam propter iniquam frumentorum diuisionem, partitionémque agrorum, plebs in molem Auentinam secederet, résque nouas meditaretur. Posteà verò *Tribuni* ad propugnandam plebis autoritatem constituti, (paucorum dominatum iam in Democratiam vergente) tam atroces seditionum faces sæpè accenderunt; vt periculum esset, ne ciuitas illa, propter externas victorias omnium quæ vnquam fuerunt, celeberrima, domesticis ac intestinis discordijs rueret quotidie, & collaberetur. *Cæsares* tandem rerum summam adepti, in restaurandâ Monarchiâ, plebéque deprimendâ quantas tragedias excitarunt? Quàm immensam pecuniarum vim exhauserunt? Quàm ingentes ciuium multitudines huius vitæ iu-

cundißimâ luce priuauerunt?

Iſta igitur qui rectè ponderauerit, non multum admirabitur, cur politici tam facilè reſoluant *antiquas leges deteriores nouis melioribus anteponendas*. Siquidem conſuetudinis maximæ ſint vires, antiquitáſque ſui reuerentiam quandam & admirationem in omnium mentibus imprimat: res nouæ non ſolùm contemptui ſunt plerunque, ſed ſæpißimè etiam ſpecioſas magis, quàm veras emendationes polliceantur. Bene igitur monet quidam, *non ſtatim abolendam eße legem, ſi expeditam eius rationem non perſpicias: ſed diu potiùs expectandum, ſi manifeſtam aliquam eiuſdem vtilitatem experientia prodiderit.*

Atque igitur non tam ſitus ciuitatis, quamuis naturâ ſuâ munitißimus, tam perpetuæ conſtantiæ cauſa in *Venetianâ* Rep. fuiſſe creditur; quàm illa conſtitutio, quâ ſancitum eſt, legis cuiuſquam nouæ ne mentionem quidem faciendam apud Senatum (quem illi *Conſilium grande* ſuâ linguâ vocant) niſi conſenſu ſapientum (quos appellant) implorato prius & obtento. Summa etiam ratione fulciebatur ille mos *Locrenſium*, apud quos vnuſquiſq; nouam legem rogaturus collum ſuum reſti circundedit, ſicque in Senatum veniens ſuffocabatur, ſi petitione ſuâ caderet. Hac autem in re nulli vnquam ſeueriores fuerunt, quàm *Lacedæmonij*, qui à ſtudio Nouitatis ſic abhorrebant; vt *Typandrum* muſicum illius ætatis longè præſtantißimum, quòd vnicam cordam inſtrumento cuidam muſico addidiſſet, contuſo priùs inſtrumento, miſerint in exilium.

Quapropter tantò minori dignum eſt admiratione, quod de *Anacharſi* philoſopho, déque *Scyle Scytharum* Regis filio refert hiſtoria; qui, quòd ad morem *Græcorum* feſta celebrare *Scythas* docerent; ille à *Sautio*

Scytharum Rege ſagittâ transfixus; hic primùm à ſuis deſertus, poſtea etiam à fratre interemptus eſt. Nam hæc priſcorum facinora non ſolùm cum *Pyndaro* affirmant Conſuetudinem mortalium eſſe iudicem vel Regem: ſed etiam in omni Rep. vel rerum minutiſſimarum alterationem non ſine maturâ deliberatione permittendam.

Atque hoc ſi in *Martiniſtis* iſtis, cùm primùm emergerent ſuccidendis, ſacri noſtri præſules obſeruaſſent; illorum ſimulata humilitas in tam deſperatam audaciam, audacia in tam execrabilem impietatem, impietas in tam funeſtam Reip. noſtræ perturbationem nunquam excreuiſſet.

Sed ab hoc curſu diſceptationis tam ſolenniter inſtituto *Martinum* iamdudum me reuocantem audire videor, & apertis faucibus clamantem, hæc omnia, quæ de nouarum rerum inductione dixi, à propoſito noſtro prorſus eſſe aliena. Siquidem vt vera ſint in legibus res externas fortunáſque tantùm noſtras tangentibus, quæ Magiſtratus arbitrio ac voluntati ſubijciuntur, atque igitur rebus ita poſtulantibus retineri vel mutari ſine ſcelere poſſunt: in Religione tamen non item. Nihil etenim eſt turpius, quàm cultum diuini Numinis tanquam *Leſbiam* regulam, Rerumpub. formis coaptare; vel perſonis, temporibus, lociſue componere. Nam vt *Chriſtus* vnicus eſt, & vnica *Chriſtianorum* fides: ſic etiam viſibilis Eccleſiæ facies vbique debet eſſe eadem, quam ab ipſis Apoſtolis, & à primis illis Architectis deriuatam accepimus. Cùm etenim in templo illo *Iudæorum* deſcribendo Deus tam ſollicitus fuerit, vt ne minima quidem eiuſdem vtenſilia prætermiſerit: tum veriſimile eſt noſtræ ſtructuræ multò præſtantioris, auguſtioríſque formam illum non ſic neglexiſſe,

lexiſſe, quin etiam abſolutiſſimam eius effigiem in nouo teſtamento delineauerit ac depinxerit.

Primò conſequentiam iſtius argumenti (quod tanquam Idolum *Martiniſtæ* ſuſpiciunt & admirantur) debilem & infirmam eſſe plus millies Orthodoxi demonſtrarunt; nos etiam alibi demonſtraturi ſumus. Deinde nullam aliam rerum adminiſtrationem vnquam in Eccleſiâ Chriſti obtinuiſſe, quàm quæ nunc apud nos obtinet, confidenter affirmo. Nam non ſolùm authorem nullum, ſed ne lineam quidem probati cuiuſquam ſcriptoris poteſt mihi *Martinus* afferre, quâ miniſtrorum æqualitas apud antiquos Chriſtianos comprobatur: & mihi *Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum*, non ſolùm dignitatem & authoritatem illam, quam noſtri habent; ſed & multò celſiorem illuſtriorémque (reſpirantibus iam paululùm à Tyrannorum perſecutione Chriſtianis, rebúſque illorum aliquantulum confirmatis) ſtatim in vſu fuiſſe, ſexcenti plus hiſtoriographi aſtipulantur.

Sed vt hoc verum non eſſet, quod omnium penè infantiſſimis conſtat eſſe veriſſimum: falſis tamen accuſationibus, & ne accuſationibus quidem, ſed malitioſiſſimis calumnijs nouam doctrinam commendare, ſine tùm profligatæ prauitatis, tùm amentiſsimæ ſtultitię ſuſpicione nemo poteſt. Vtcunque etenim in inſulſam inuidámq; dignitatis plebem tam petulans maledicentia poſſit influere: literati tamen & ſapientes optimè ſciunt rerum præſtantiam in ſuâ virtute conſiſtere, non aliarum comparatione trutinari: Neque illud ſolùm, ſed etiam nulla tempora tam ſancta, támq; defecata vnquam extitiſſe; quæ non veris germaníſque Chriſti profeſſoribus aliquos etiam hypocritas immiſcuerint. Numerabatur inter diſcipulos *Iſcariotes*; etiam *Ananias* & *Saphira* inter fratres locum habebant.

habebant. Ita vt si nullam religionem rectam esse confiteremur, quam impuri aliqui consectantur; sanè delendum esset Religionis nomen, & illi omnium beatissimi iudicandi, quos nec Numinis cuiusquam opinio, nec pietatis cura sollicitos vnquam tenuit. Quid? *Martinistæ* omnes tam synceri, tam puri, tam innocentes, vt nullum crimen in illâ sectâ liceat reprehendere? Dicam (quæso) quod sentio: Si tantùm duo sint alij, qui cum *Martino* in dispergendis istis libellis conspirauerint; non dubito tres illorum ad minus absolutos & confirmatos esse Nebulones. Ponamus igitur aliquos Episcopos esse malos, (quod ego tamen de priuato aliquo, nisi iam conuicto legitiméque condemnato, non crederem) hinc statim concludemus Episcoporum statum mox è Repub. déque Ecclesiâ Christi deturbandum? Eâdem certè ratione Magistratus, Reges, Imperatores solijs suis atque sceptris spoliandos dixerimus, quòd nulla autoritas, vel iustissima, inter homines erecta vnquam fuerit, paulóque diutiùs constiterit, quam aliquis non malè administrauit, & ad inexplebilem libidinis suæ sitim restinguendam non distorsit.

Ista mihi diu, multúmque cogitanti, nulla vnquam vel ad dignitatem principum ornatior, vel ad salutem certior gubernandi regula dari videtur; quàm illa, quæ singulas ad illos vias Sycophantis istis obstruit & præcludit. Illi etenim vtcunque omnia ad voluptatem assententur; & ad nutum principis, vultum, oculos, gestúmque componant: mentes tamen gerunt semper virulentissimas, & tanquam in excubijs ad arripiendas singulas ansas damni, quod possunt, infligendi collocantur. Cúmq; astutię suę viribus Regis animum à veris amicis subditísque fidelibus alienauerint; tum confestim in ipsius statum cuniculos agunt,

cúmque iam vacillantem, quibus possunt machinis, student euertere.

Atque igitur non dubito (vtcunque *Martinus* hîc escam *Marco Crasso*, vel cuiquam auaro principi gratam præbuisset) *Elizabethæ* nostrę non solùm integritatem sanctiorem, sed & prudentiam multò perspicatiorem, magnanimitatémque splendidiorem esse; quàm quæ tam fucatis illecebris deliniri possit. Illa etenim, illa pro summis ingenij sui virtutúmque omnium dotibus ignorare non potest, in concinno Prælatorum decôre quantum sua Religio; in venustâ Spiritualium hominum distinctione quantum sua sapientia; in moderatis Ecclesiæ copijs quantum sua beneficentia lucet, & effulget. Nec etenim tam in arcarum suarum pondere, vel multitudine prædiorum; quàm Reip. piâ, prouidâ, splendidáque moderatione vires suas constituit.

Quapropter desinant isti *Brachmannæ* nescio qui, theologiam hanc non nudam tantùm, sed & excoriatam iactitare: desinant temporalium illorum, quæ Episcopalibus adhæresceunt, odiosam distractionem toties inculcare. Siquidem istiusmodi vociferationes crudelissimos tyrannos efferare; bonorum principum animos ne quidem commouere solent.

Sed dixerit mihi politellus aliquis; *Martinum* exagitando nimium te fatigas (homo simplicissime) sollicitéque vmbram verberas, nec intelligis horum tēporum hanc esse prudentiam longè exquisitissimam, vt Religionis sectam quælibet Respub. nutriat, atque foueat. Nam confligentes inter se Ecclesiasticos, nec solùm de doctrinæ suæ veritate digladiantes; sed & in morum atque vitæ mutuas reprehensiones prorūpentes, Laici & facillimè semper tractant, & in nequissimarum suarum designationum tolerantiam expedi-

peditiſſimè traducunt. Cùm etenim publica ſalus multa flagitia verbo Dei prohibita ſtatim admittat, atque deuoret; Et Sacerdotes à Dei partibus nimis obnixè ſemper conſiſtere ſoleant, eiúſque ſortem ſtrictè defendere: Sic contrectandæ ſunt illorum mentes, vel ſic temperandæ potiùs illorum facultates, vt noſtris quibuſcunque conatibus multùm reſiſtere nec velint, nec poſſint. Secùs verò quædam pietatis ſuperſtitio, non ſolùm vias omnes ad voluptates atque libidines hominibus potentioribus ſæpè pręſtrueret; ſed etiam Rempub. hoſtium incurſibus, perduelliúmque technis & inſidijs abiectiſſimè proſtitueret. Tu igitur, qui *Martinum* tam grauiter increpas, vide ne non tam priuatum aliquem ſectarium reprehendas, quàm conſilium ac inſtitutum multorum hominum in controuerſiam voces. Nam depoſitâ iampridem omni religionis curâ apud exteros, viciníſque noſtris in poſſeſſiones noſtras per fas atque nefas quotidiè irruentibus; non iam tandem Theologorum expectanda nobis ſunt oracula, ſi intra pietatis mœnia, limitéſque dimicemus; ſed aures cuilibet accommodandæ potiùs, qui tutiſſimam, non ſanctiſſimam defenſionem pollicetur. Hoc autem nullo modo fit melius, quàm ſic diſtrahendo illorum animos, qui Religioni præſunt, vt mutuis diſſidijs fatigentur, non publicis regni conſilijs occupentur.

Credideram iampridem mortuum fuiſſe *Nicolaum Machiauellum:* ſed viuus fortaſſe deſcendit ad inferos, & ſpiritum ſuum conduplicatum in iſtos politicos deſcenſurus contulit. Nam ille principes religionem contemnere docuit: hij non illud ſolùm, ſed & tectiſsimam artificioſiſſimámque contemnendi rationem aperiunt. Qui quidem vtinam tam diabolicæ

ſuæ opinionis defenſorem *Iohannem Bodinum* non haberent. Quippe homo noſtrorum temporum longè doctiſsimus hic blaſphemam impietatem eructat, & Reip. ſuæ ſalutem diuinæ prouidentiæ ereptam, inaniſsimis prophanorum hominum cerebris protegendam committit. Nam binarum religionum tolerantiam principis ſecuritatem potiſsimùm continere vociferatur. Quæ vox & cultum diuinum flexuoſiſsimâ noſtrarum actionum normâ menſurat, quo nihil ſceleſtius: & ipſum Deum ſecundarijs cauſis aſtringit, quo nihil ineptius vnquam cogitari poteſt. Quid ni igitur ſiue teporem, ſiue diſſimulationem huiuſmodi tanquam execrabilem procul à nobis arceamus; vel potiùs in remotiſsimas ipſius *Tartari* regiones, tanquam in propriam ac natiuam ſedem amandemus? Vnicus eſt Deus, vnicus illius cultus ab illo nobis, non à nobis illi prǫſcribendus: à quo qui per ignorantiam aberrat, culpâ non caret; ſed qui per malitiam ſcienter ac ſponte deflectit, ſtatu quidem vacillat iam deſperatiſsimo.

Infinitus eſſe poſſem in recenſendis exemplis hominum inermium, qui diuinis mandatis obſequuti, fortiſsimos infidelium exercitus fuderunt; & potentiſsimorum Imperatorum, qui Domini prǫcepta cum ſuis inuentis nunc miſcendo, nunc commutando, turpiſsimam ſeruitutem obiuerunt. Sed res eſt apertior, quàm vt dubitationem aliquam ferat; præſertim nobis *Anglis*, qui tam confirmatam & diuturnam pacem, tantam támque inauditam triginta annorum fælicitatem, tam illuſtres, admirabiles, & vix optandas victorias non hoſtium noſtrorum imbecillitati, non noſtris viribus; ſed ſoli Deo, puræque veritati religionis cogimur aſcribere. Non deſunt exteris Regibus conſiliarij prudentiſsimi, non deſunt cohortes bellicoſiſsi-

licosissimæ; diuitiæ etiam abundant, & omnis generis commeatus. Nos autem pusilli in solo Deo confidimus, & tanquam in somno vincimus.

Pudeat igitur *Martinistas* hac labe Magnates nostros aspergere: siquidem ipsi magnum aliquem defensorem suæ vesaniæ non habeant, nisi aliquem fortasse, qui illorum stultissimas ineptias sibi in turpissimum lucrum cupit conuertere. Sed si neglectâ religionis normâ, doctrinæ huius sanitatem ad humanæ politiæ calculos reuocemus; religionis varietate nihil est cuiquam Reip. periculosius. Quippe quæ non ipsa solùm tumultibus semper est proxima; sed & hominibus paulò seditiosioribus facillimas commotionum ansas plærunque præbet. Ambitioso etenim cuiquam ad regnum vel status mutationem contendenti nihil est expeditius, nihil oportunius; quàm sanctitatem simulare, religionis integritatem præ se ferre, sicque quasi nutu suo vel supplosione pedis sectam illam, cuius defensionem profitetur, excitare; & sceleratas suas designationes prætextu pietatis dissimulare. Atque hæc de primâ parte dicta sint.

ACCEDAMVS nunc ad secundum diuisionis nostræ membrum, & ostendamus hunc mirificum emendatorem leges omnium laudatarum Rerumpub. quæ vnquam fuerunt, impudentissimè violasse; nec solùm perpetuam infamiæ maculam inde contraxisse, sed in pessimi cuiusque supplicij periculum se coniecisse. Hoc autem vt vobis sit perspectissimum, paulò altiùs rem mihi repetendam esse video. Scitote igitur iniuriarum actionem *Martino* nos intendere. Duplex autem est iniuria: generalis altera

atque laxior, quàm *Græci* ἀνομίαν καὶ ἀδικίαν appellant; altera ſtrictior & vehementior, quàm illi ὕβριν *Romani Contumeliam* dicunt; quia non ſolùm leges, & Iuſti cancellos tranſit; ſed dedecus etiam & contemptum patienti infligit. Illam faciunt omnes, qui facultates noſtras minuendo legum ſepta violant: hanc illi ſoli, qui nobis famam atque exiſtimationem etiam cum indignitate detrahunt. Exempli cauſâ, qui rem meam mihi ſuffuratur, in leges atque iuſtitiam committit: hoc tamen ſine perſonæ vel conditionis meæ contumelia facit; atque igitur generali modo dicitur iniuſtus. Qui vel vulnera mihi dat, vel ignominioſè me compellando laceſſit; hic (ſecundum Iuriſperitos loquor) ſpecialiter iniuſtus eſt, καὶ διὰ τὸ τὴν ὕβριν ποιεῖν, ὑβριστὴς propriè dicitur. Hanc illâ alterâ tetriorem eſſe quis non videt? Siquidem illa partem aliquam rei familiaris atque copias tantùm diripit; hæc decus, nomen, honeſtatémq; lædit. Meritò igitur *Iſocrates* à *Lochite* vapulans idem ſupplicium de læſione corporis ſumendum eſſe negat, quod de fraudatione pecuniarum ſumi ſolet. Hoc etenim omnibus eſſe coniunctiſſimum, eiúſque ob incolumitatem & leges pręcipuè ſancitas eſſe, & bella quotidie ſuſcipi. Quod autem Orator ille ſummus pro loco & tempore ſoli corpori aſtrinxit, mihi videtur ad perſonæ famam & dignitatẽ multò magis pertinere. Nam corpore noſtro percuſſo vel vulnerato, non tam ictus magnitudinem ſpectamus, quàm perſonæ noſtræ inuſtam contumeliam. Nam caſu vel per imprudentiam colliſi leuiùs commouemur nonnunquam; per contemptum, non dico, tacti, ſed compellati tantùm, vehementiſſimè incendimur. Idque quia non tam facta vindicanda ſunt, quàm vniuerſa morum petulantia coercenda. Quamobrem *Hortenſius* vtcúnque leuitatis

tatis notam non effugit, quòd Collegæ plicaturas togæ ſuæ perturbanti diem diceret: quia tamen hoc non ſine contumeliâ factum eſt illi, quum ad forum & honoratum conſeſſum ſe compoſuiſſet, ſolenniorémque de re aliquâ grauiori orationem apud viros nobiles habiturus: rectiùs iniuriarum actionem illi competiuiſſe dixerimus, quàm ſi per imprudentiam ab aliquo deiectus ad humum, pedibúſque conculcatus fuiſſet. In iniurijs etenim diſceptandis illud eſt perpetuum, vt conſideremus, quâ mente illas quiſquam intulerit. At quod ignorantia facit, illud præpenſam malitiam habere non poteſt, niſi damnum illatum delectatio aliqua ſubſequatur, quæ occultam in nobis prodat nocendi voluntatem. Vnde ſequitur eſſe quoſdam, qui iniuriam facere non poſſunt; vtpote furioſos, & impuberem, qui doli capax non eſt: vt nec qui per iocum percutit, vel hominem liberum occidit, dum putat eſſe ſeruum ſuum.

Hæc autem, de quâ loquimur, iniuria fit re, aut verbis. Re verò dupliciter, vt verberibus, vel geſtu. Verbis etiam dupliciter, vt dicto, vel ſcriptis. Tantóque in odio fuit apud priſcos, vt cum duo eſſent actionum genera; priuatarum vnum, quæ priuato ad damnum aliquod reſarciendum concedebantur; alterum publicarum ſiue popularium, quæ cuiuis è populo tanquam reipublicæ nomine competebant: Εἰς τὸν ὑβριστὴν quidem publica ſemper intentabatur, quàm Græci κατηγορίαν appellarunt, ídque nullâ factâ ſponſione, ſiue in litis euentum depoſitâ pecuniâ, quæ in alijs iudicijs interuenire ſolet. Vnde meritò in primâ contra *Stephanum* de falſo teſtimonio dixit *Demoſthenes* ſe δίκην non potuiſſe intendere, quia bello αἱ δίκαι ſublatæ eſſent: ſed ὕβρεως γραφὴν γράψασθαι. Nam è multis τῶν κατηγοριῶν ſpeciebus, καὶ ἡ γραφὴ

vna

vna fuit, quæ definiebatur cuiusdam publici iudicij species, cum vel publico, vel perinde vt publico, quis alterum iudicio persequeretur.

Videtis igitur apud illos omnium *Græcorum* sapientissimos, dignitatis atq; existimationis conseruandæ tam sollicitam fuisse curam, vt in alijs delictis contra priuatum commissis, illi tantùm experiri liceret, qui læderetur; in hoc quidem quiuis è populo ius persequi posset, tanquam si tota Resp. inde laboraret. Contumelias autem alias leuiores, alias atrociores esse oportet. Et illos non est dubium alijs mitiora, grauiora alijs supplicia constituisse. Sed hîc hæremus. Quippe & ipsa vetustas, & tot tantæque rerum perturbationes non solùm ipsas leges, sed & singula pene legum monumenta corruperunt. Tantùm apud *Isocratem* pro maledicto vnico mulctam quingentarum drachmarum infligi legimus. Cùm igitur octo drachmæ vnciam argenti constituant; vnica verò vncia valeat quinque solidos Anglicos; tùm quingentæ drachmæ faciunt in nostrâ monetâ 312. solidos, & quatuor octauas vnius solidi; id est, quindecim libras, duodecim solidos, & sex denarios. Hoc si vnici maledicti precium sit; quid de pluribus? quid de falsis? quid de pulsatione? quid de verberibus, vulneribúsq; adiunctis existimandum est? Certè vt *Pythagoras* ex *Herculis* stadio pedem eius, ex pede tibiam, ex tibiâ cætera membra, atque adeò ipsam corporis staturam eruisse dicitur: non aliter nos certissimis coniecturis vnici maledicti supplicium ad atrociorum contumeliarum pœnas longè grauissimas tanquam manibus poterit conducere.

Dicite mihi iam, si *Martinus* apud *Athenienses* vixisset, & singula maledicta, quibus libellos suos refertissimos videmus, quingentis drachmis lueret: quod

patri-

patrimonium, quamuis amplissimum, tot mulctis posset sufficere? Nollem quidem vel *Martinistarum* omnium tantas esse copias; quia tum non conuiciorum, sed ferramentorū, tormentorum, maximarúmq; legionum periculum, non *Episcopis*, sed *Elizabethæ* nostræ, atque *Angliæ* (prôh malum) ab illis pertimescendum esset, quam illi quotidie nituntur per sanctissimorum Antistitum latera configere.

Sed obsoletiora hæc relinquamus, & ad ius *Romanum*, legésque quibus vtimur, propiùs accedamus. Et certè si nihil aliud esset, quod *Romanorum* animos aduersùs huiusmodi Rabulas atq; Scurras nobis ostenderet: duæ tamen huius iudicij circumstantiæ hoc optimè depingunt. Primùm etenim in actione iniuriarum, vt in iudicijs criminalibus, plenam probationem expectabant; cùm in reliquis priuatorum hominum controuersijs, saltem non nimij præiudicij, cum iuramento partis tantùm semiplenam exigerent. Deinde, cùm animus atque voluntas iniuriam inferentis perpenderetur; nec quisquam iniuriam facere iudicaretur, qui cum dolo & contumeliâ non faceret: hoc etiam apud illos receptum fuit, vt quæuis iniustæ vel fatuæ causæ allegatio dolum iniuriantis perpurgaret, iudiciúmque aboleret. Vtriúsque circumstantiæ rationem hanc esse arbitror; quòd cùm Condemnatio in hoc iudicio nominis iacturam irrogaret; *Romani* quidem existimationem liberorum hominum tanto in precio habuerunt, vt delicto vindictam apertissimè non flagitante, potiùs absoluendo binorum hominum dignitatem integram seruandam duxerint, quàm vnius tantùm resarciēdam, alterius penitus deperdendam. Illa enim Ciuilis prudentiæ ratio est, vt (quantum possit) vniuersæ ciuitati prospiciat. Illud autē si per hominum nequitiam non liceat, vt (saltem

 saluis

ſaluis iuſticiæ neruis, quibus illa ſolùm continetur) quàm plurimis conſultum eſſe velit: & tum demum, cùm vel plecti ciuem, vel iuſticiam violari ſit neceſſe; tardè quidem & inuitò (tanquam medicus ad vrendum atq; ſecandum) ad animaduerſionem auſteriorem, imò auſteriſſimam víxque admittendam accedat. Prudentiſſimis Romanis charam eſſe liberorum hominum exiſtimationem nihil meo iudicio probat manifeſtiùs, quàm illæ leges, quę non ſolùm iniuriam patientibus, ſed & eorũ cognatis & amicis neceſſarijs iniuriarum actionem concedunt. Nam & ſponſus ad hanc, propter contumeliã ſponſæ factam, admittitur. Ita vt ex vnicâ iniuriâ tribus interdum actio competat, nec vnius actio per aliam conſumatur: vtputa vxori meæ, quæ eſt filiafamiliâs, iniuria facta eſt; mihi, patri eius, & ſibi ipſi, iniuriarium actio datur.

Sed iſtis ſic poſitis, progrediamur iam ad ſupplicia, quæ leges iniuriantibus infligunt. Hîc autem pro circumſtantiarum varietate diuerſæ conſiderationes eſſe ſolent. Alia enim eſt leuior (vt ſuprà dictum eſt) alia atrocior, prout iniuriandi modus, vel locus, tempúſue, in quo fit; vel perſona, quæ læditur, videtur expoſcere. Atque hoc leges decemuirales, ſiue duodecim tabularum ſatis explicant. Quæ quamuis ipſæ maximâ pro parte interciderint: earum tamen quædam veſtigia apud *Aulum Gellium* adhuc conſpiciuntur, qui *Sextum Cæcilium*, contra facetos quoſdam *Phauorini* lepôres earum tabularum ſententiam defendentem, inducit his verbis: *Sed enim ipſum vide, quod in iniurias factas quinque & viginti aſſibus ſanxerint* (loquitur autem de duodecim tabulis) *non omnino omnes (mi Phauorine) iniurias ære iſto pauco diluerunt, tametſi hæc ipſa paucitas aſſium graue pondus æris fuit. Nam librarijs aſſibus eâ tempeſtate populus vſus eſt.*

est. Sed iniurias atrociores, vt de osse fracto, non liberis modò, verùm etiam seruis factas, impensiore damno vindicauerant. Quibusdam autem iniurijs talionem apposuerunt. Et paulò post: *Si reus, qui depacisci noluerat, Iudici talionem imperanti non parebat, æstimatâ lite Iudex hominem pecuniæ damnabat. Atque ita si reo & pactio grauis, & acerba talio visa fuerit, seueritas legis ad pecuniæ mulctam redibat.*

Sed hæc in desuetudinem abierunt. *Non enim ignoramus* (vt inquit idem *Gellius*) *legum oportunitates & medelas pro temporum moribus & Rerumpub. generibus, ac pro vtilitatum præsentium rationibus, próque vitiorum quibus medendum est, feruoribus, mutari atque flecti, neque vno statu consistere, quin vt facies cæli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus varientur.*

Ex quibus perspicimus non tantùm antiquari leges 12. tabularum ab *Athenis Romam* post exactos Reges adductas; sed etiam ex ipsis temporibus necessarias oriri causas, vel saluberrima sanctissimáque decreta permutandi. Vnde tandem effectum est, vt omnium istius generis iniuriarum vindicta sub Prætoris edicto comprehenderetur; quo constitutũ est, vt iniuriam passi eam æstimarent; vtq; Iudex aut tanti reum condemnaret, quanti iniuriã passus æstimasset; aut minoris, si sibi videretur. Verba autem edicti, ex quibus hoc constat, sunt huiusmodi. *Si quis aduersus ea fecerit, prout quæq; res erit, animaduertam.*

Atq; hinc oriuntur illi gradus iniuriarum, qui pœnarũ diuersitates inducũt. Non tãtùm etenim suadet ratio naturalis, sed & experientia docet, contumelias infinitis penè modis minui vel exaggerari. Nam in verborũ conuitijs multum interest, quis statim se resipiscat, an perseuerauerit; in priuato domicilio coram paucis testibus, an in theatro, multis spectãtibus atq;

audientibus ſcommata iaciantur: Seruus ſit, an liber; Plebeius an Nobilis; Priuatus an Magiſtratus; neceſſarius an alienus; qui iniuriam patitur. Illa etenim *Theodoſij*, *Arcadij*, atque *Honorij* conſtitutio, quantamcúnq; lenitatem atque clementiam præ ſe ferat: implicitè tamen ſeueritatis iudicium manifeſtiſſimum continet. Verba ſunt hæc. *Si quis modeſtiæ neſcius, aut pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina noſtra crediderit laceßenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubiugari, neque durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere: quoniam id ſi ex leuitate proceßit, contemnendum eſt: ſi ex infamiâ, miſeratione dignum: ſi ab iniuriâ, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, vt ex perſonis hominum dicta penſemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, cenſeamus.* Vt etenim illorum opinioni potiùs adhæreamus, qui [*remittendum*] id eſt, condonandum dicunt; quàm illorum, qui [*remittendum*] id eſt, Prætori ſupplicij cauſâ relegandum interpretantur: tamen quòd *ad ſcientiam ſuam referri* Imperator velit iſtiuſmodi homines maledicos; non ego hoc impunitatis cauſâ conſtitutum eſſe crederem, prçſertim cùm ſtatim hçc addat, *Vt ex perſonis hominum dicta penſemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, cenſeamus.* Vtcúnq; etenim lenitatem principe digniſſimã omnes affirment, ipſiq; principes omniũ maximi clariſſimiq; clementiam ſuis titulis & epigraphis intexuerint: nemo tamẽ omnium, qui in aliorum iniurijs propulſandis tam eſt ſollicitus, ſuam dignitatẽ maieſtatẽmq; tãtum negliget & contemnet, vt cuilibet in popinis ac lupanaribus eandem exagitandam permiſerit. Illius igitur Conſtitutionis hanc ego ſententiam eſſe arbitror, vt qui ob quamcunque cauſam Imperatori maledixerint,

rint,quamuis mortem,aut ad minus exiliũ mereãtur: quod tamen vnius homunculi maledicta vindicare principis non tantum intersit, quantum insidiarum coniurationúmque explorandarum quaslibet occasiones arripere; non primo quoque momento istos maledicos plectendos Imperatores duxerunt, sed ad se potiùs perducendos,suóque arbitratu vel leuiter, vel seuerè pertractandos; vt experirentur an à leuiori aliquo motu, vel occulto malo conuicia processerint. Atque hæc causa est, cur aliquem in apertis insidijs comprehensum non statim interficiendum Principes ducunt; sed ad acerbiora supplicia conseruandum: Quia iam quasi filum habent,quo ad tectioris coniurationis quasi labyrinthum conducantur; quo temere abrupto, *Minotaurum* ipsum non adhuc assequuti, viam fortè perderent. Quare si verum sit,quod audiuimus, satellites Principis *Orangiæ* non ita pridem in carcerem esse coniectos, quòd coniuratorem pilam plumbeam in eum è bombardâ mittentem in ipsius Principis conspectu trucidassent; non sine summo consilio hoc factum est. Siquidem apud Coniuratores frequentissimum est; eum, qui scelus perpetrandum suscepit,facinore peracto,statim traijcere,ne reliquos facinoris sui conscios prodat atque detegat. Atque igitur cùm priores insidias Princeps euasisset, alterum simili modo eum aggressum ad pœnas exquisitiores (quamuis frustra) viuum reseruarunt.

Vtcunque igitur rebus ita permittentibus nihil sit, quod Principis maiestatem magis augeat, quàm clementia atque lenitas: tamen nemo omnium Reges ita obtusos atque stupidos esse cupit, quin causam & originem maledicentiæ ad ipsorum aures delatæ sedulò quidem perquirant; & deinde, si leuis sit, remittant: sin periculosa, tanto puniant vehementiùs,

 quanto

quanto magis Reip. ſalus ab ipſorum, quàm aliorum vitâ dependeat. Quid enim? Diſſolutior in iſtos nebulones indulgentia, ciues alios in immodeſtiam pelliceret, principúmque actiones in aſsiduum opprobrij periculum induceret, illuſtriſsimorúmque hominum conditionem infimâ plebis fece deteriorem redderet. Hæc fortaſſe recens eſt prędictæ conſtitutionis interpretatio; ſed tamen talis, qualis rationis momento, doctiſsimorúmq; virorum autoritate non caret. Cùm etenim leges ſuperiùs allegatæ, multæquè aliæ diſtinctionem iniuriarum inducant, propter perſonarum differentiam, quæ eas patiuntur: tum quæ petulantior, quæ nequior eſſe poteſt, quàm quæ ſacram principis perſonam conſpurcat atque violat?

Sed cùm ex inferendi modo contumeliam incrementum capere dixerimus; conſideremus, quam rationem *Martinus* hîc ſibi potiſsimùm ineundam eſſe duxerit. Non temulētiâ ductus ornatiſsimos Epiſcopos noſtros tam vehementer inſectatus eſt (quamuis ſi hoc gratum homini foret, illum aliquando temulentum eſſe non negarem) ſed malitiâ, ſed dolo potiùs, furioſiſsimáque calumniandi libidine percitus, viris innocentiſsimis, etiam in dignitate conſtitutis, non pepercit. Non enim vnum aut alterum maledictum ſibi excidere paſſus eſt, ſed inuitâ quaſi Mineruâ, neruos omnes intendit, fauces ſuas impudentiſsimas defatigauit in illorum exiſtimatione deludēdâ, quorum è ſtatu pietas ipſa religióque non minimè dependet. Libellum iam tertium nuperrimè diſſeminauit improbiſsmâ ſcurriliſsimáque nequitiâ pleniſsimū; plures minitatur, nec deſtiturum ſe pollicetur, ſi non priùs hanc Miniſtrorum æqualitatem, id eſt (vt ego interpretor) nudam, ſterilem, informem Eccleſiæ noſtrę vaſtitatem, fœdiſsimámq; religionis cōfuſionem,

&

& vniuerſalē à Chriſto fidéque defectionē inuexerit.

At quam pœnam huic tam craſſę, tam impiæ, non iam dicam contumeliæ, ſed blaſphemię leges conſtituerunt? Sane quidem de tantâ támque exquiſitâ veſaniâ nunquam cogitarunt. Sed libellorum autores iure Pontificio flagellantur. At huius canones contemnunt, diríſque deuouent. Iure ciuili: *Si quis famoſum libellum ſiue domi, ſiue in publico, vel quocunque in loco ignarus repererit; aut corrumpat priuſquam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Si verò non ſtatim eaſdem chartulas vel corruperit, vel igni conſumpſerit; ſed vim earum manifeſtauerit: ſciat ſe quaſi authorem huiuſmodi delicti capituli ſententiæ ſubiugandum.* Item alibi. *Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolóue malo fecerit, quo quid eorum fieret: etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine; iubetur ex lege eſſe inteſtabilis.* Eâdem pœnâ tenetur is, qui ἐπιγράμματα, aliúdue quid ſine ſcripturâ in notam aliquorum produxerit. Iniuriarum etiam condemnatum infamem eſſe tam leges, quàm doctores vbique prædicant. Leges etiam iſtas non tanquam gladium in vaginâ reconditum ſopitas iacuiſſe, ſed vſu perpetuo quaſi coruſcaſſe multorum hiſtoricorum libri ſatis indicant. Quibus teſtibus *Auguſtus* famoſorum libellorum, quos ad traducendos homines à quibuſdam ſcribi acceperat, inquiſitionem fieri, & repertos in vrbe ab *Aedilibus*, extra vrbem à ſingulorum locorum præfectis comburi iuſsit; atque in autores animaduertit. *Domitianus* etiam huiuſmodi ſcripta, quibus primores viri atque fæminæ notabantur, aboleuit, ídque non ſine autorum infamiâ. Etiam aſperiorem ſe præbuit in *Hermogenem Tharſenſem* Hiſtoricum, quem ideò vltimo ſupplicio affecit, quòd in hiſtoriâ ſuâ figuratis quibuſdam, obliquis, &

ambi-

ambiguis ſermonibus vſus eſſet, qui in ſuam aut aliorum contumeliam trahi & accommodari poterant.

Sed *Martinus Domitianum* tyrannum fuiſſe dicet. Certè ſi ſic omnia feciſſet, in numero bonorum principum certiſſimum locum reperijſſet. Dempto enim ac diminuto honore atque probitatis opinione, quid tandem ſalui eſt? Conuicium moleſtius eſſe vulnere, liberi & ingenuj dicunt: & ſunt, qui mori potiùs cupiunt, quàm nominis ſui facere naufragium. Poeta *Næuius* ob nimiam in ſcribendo maledicentiam, cùm contumeliam propoſitam non haberet; ab ipſis quidem *Triumuiris* in vincula coniectus eſt, & in carcere aliquandiu tenebatur. Sed maledicendi licentia & improbitas adeò proceſsit, vt lex *Romæ* per *Cenſores* lata fuerit, quâ eiuſmodi probra ac maledicentia reprimerentur. Quod ab *Horatio Flacco* demonſtratur, qui in Epiſtola ad *Octauium* refert veteres *Romanos* irato animo atque ægerrimo tuliſſe à poetis lacerari. Vnde fuit illis hæc quoque cura (inquit)

Conditione ſuper communi, quin etiam lex
Pœnaq́; lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi, vertêre modum, formidine fuſtis
Ad bene dicendum delectandumq́; redacti.

Sed vt hoc *Martini* non vulgare maledicendi genus eſſe perſpiciatis, qui in Epiſcopos tantâ cum acerbitate inuectus eſt; audite, quid autor probatiſsimus refert de *Conſtantino* illo Magno Chriſtianæ fidei patrono longè celebratiſsimo. *Cùm multi* (inquit) *Epiſcopi loco ſententiæ indignas finitimorum Epiſcoporum criminationes deferrent, ac libellis prodendis cauſas ab eo cognoſci poſtularent: tum Conſtantinus (libellis in ſinum ſine vlla lectione coniectis) ita perrexit: Deus vos Sacerdotes conſtituit, & poteſtate de nobis iudicandi affecit. Et ideò nos rectè iudicamur à vobis, vos autem nefas eſt ab hominibus iudicari.*

iudicari.

Quid hoc eſt monſtri? *Sarmatiam*, an *Angliam* incolimus? Chriſti religionem, an ἀνθρωποφάγων barbariem atque feritatem profitemur? qui *Martiniſtas*, id eſt ſanctiſsimorum Epiſcoporum indigniſsimos carnifices inter nos viuere patimur? Quos auguſtiſsimus ille *Conſtantinus* (non tam propter imperium totius orbis, quàm religionis atque fidei ſynceritatem admirabilis & ſuſpiciendus) non ad tribunal ſuum legitimè ſiſti poſſe cenſuit: illos nos cuiuſlibet impudentiſsimi Scurræ conuicijs obijcimus & exponimus. Aut ego fallor, aut hæc truculentiſsimam atheiſmi peſtem regno noſtro minitantur. Fides enim noſtra iampridem vacillare cœpit, cùm plurimi nuſquam conſiſtamus, nullam opinionem diu retineamus; ſed diruamus quotidie, quod ædificauimus; & hoſtem quemcunque zizania falſæ doctrinæ puriſsimo veræ religionis tritico immiſcere, vel clariſsima luce patiamur.

At inquit *Martinus*; Quid tantum ſęuis in hominem, qui verè loquitur? Veritas criminis dolum excuſat. Intereſt enim Reip. peccata nocentium eſſe cognita. Herclè non eſt *Martinus* in fingēdis mendacijs, quàm in peruertendo iure calumnioſior. Nocentem infamare per leges poteſt, at non famoſis libellis, at non niſi coram Iudice; vel ſi extra ius, non ex contumeliæ, non ex doli propoſito. Reſpondet *Martinus*, Ego non dolum, ſed reformationem cogito. Mentienti non creditur, ne iurato quidem. Tunè hominum moribus rerum veritatem definiendam eſſe prędicas? Negas. Quid igitur hominum improbitatem arguis, cùm potiùs doctrinæ labes oſtendere debeas? Tunè feres tuam religionem tuorum moribus examinari? Tum quidem pulchram religionem defendes. Nam ego tuorum vnum vxoris ſuę filiam grauidam feciſſe,

 alium

alium execrandam Sodomiam perpetrasse, duos alios alternas vxores constuprasse noui. Prolixus hîc esse possem, si rumores leuiusculos cum *Martino* consectarer. Sed ego non solùm istorum nomina adhuc celabo, sed & aliorum multa scelera prætermittam, quæ ad aures meas non incertissimis rumoribus allata sunt. Non etenim mihi statutum est cum *Martino* in lacerandis hominum famis contendere; cupio in sceleratissimorum mimorum vitijs euulgandis tam esse parcus, quàm fuit ille profusus in sacratissimorum Episcoporum existimatione conuellendâ.

Sed quid, si non vera sunt, quæ istis viris affingis? Quid, si falsissima? Quid, si ne suspicionem iustam ferre possint? Fatebere te calumniæ pœnas meruisse? Siquidem calumniari in criminalibus nihil aliud est, quàm falsa crimina dolo malo intendere; aut in fraudem alicuius falsum testimonium conficere. Quapropter vinculis multò strictioribus teneris, quàm si verè, minùs tamen legitimè contumeliam tot viris præclarissimis inussisses. Siquidem iniuria excusationem humanę fragilitatis nonnunquam habeat: Calumnia verò, nisi in hominem iam anteà desperatum & ab omni spe derelictum non cadat. Meritò igitur Rex ille prudentissimus *Agesilaus*, τοὺς διαβόλους μᾶλλον, ἢ τοὺς κλέπτας ἐμίσει, μείζω ζημίαν ἡγούμενος φίλων, ἢ χρημάτων στερίσκεσθαι. Pœnam autem calumniæ frontis inustionem & notam fuisse *Plinius* in *Panegyrico* significat, cùm scribit; *Neque vt anteà exanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas rideant; sed spectent paria damno præmia*. Quod intellexisse quoque videtur *Cicero* in surâ *Roscianâ* hijsce verbis: *Sed si hos iudices bene noui, literam illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementer*

ter ad caput vestrum affigent, vt posteà neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis.

Sed leges recentiores duplicem habent calumniæ considerationem. Nam alteram in ciuilibus faciunt iudicijs, alteram in criminalibus. De Ciuilibus ita Prætor est locutus. *In eum, qui, vt calumniæ causâ negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepisse dicitur; intra annum in quadruplum huius pecuniæ, quam accepisse dicitur; post annum simpli, in factum actionem dabo.* Ita vt qui per Calumniam alterum non defraudauit, sed defraudare voluit, eâdem pœnâ teneatur, quâ manifestus fur, bonorúmque raptor violentus: quippe quòd in vtrisque eadem est doli vis; vtcunque Calumniatores tectiùs ambulant, suísque præstigijs legum austeritati sæpiùs illudant.

Sed & super hęc ciuilia iudicia, etiam criminaliter ad vindictam publicam Calumniatores rectè postulantur. Nam tenetur pœnâ Talionis, etiam lege *Iuliâ* Repetundarum, & iudicio concussionis, nonnunquam etiam lege *Iuliâ* de vi priuatâ, & ex *S. C. Volusiano*, & lege *Corneliâ* de falsis, acsi capitalem fraudem cuiquam machinati sint, de Sicarijs. Postremò *S. C. Turpiliano*. Atque ita variè pro modo & varietate delicti plectuntur. In criminalibus verò Iudicijs, Calumniatoribus pœna lege *Remmiâ* irrogatur, cuius meminit *Cicero* pro *Sexto Roscio*, & *Valla* libro tertio, capite septimo. Illa olim ferè pecuniaria fuit, sed hodie in publicis iudicijs est similitudo supplicij: vt quod alijs calumniosè creare moliti sunt, ipsi luant. In priuatis verò & extraordinarijs criminibus extra ordinem pro qualitate delicti puniuntur. Ita vt quorumcunque criminum *Martinus* Episcopos nostros falsò accusauerit, siue publicorum, siue priuatorum, si delicta illa certam pœnam sibi habeant

à legibus constitutam, eâdem pœnâ plectendus sit: Si incertam & Iudicis voluntati permissam; tum Iudicis, id est boni viri arbitrio coercendus. Exempli causâ, si quemquam adulterij falsò doloséque criminatus sit, adulterio; si furti, furto; si hæresis, hæresi tanquam per iuris fictionem teneatur. Quippe quod supplicium illis, si fures, adulteri, vel hæretici essent, debitum, & infligendum est; in illius caput falsò illos accusantis, Prætorum decreta transmiserint.

Herclè non fronte, quàm toto corpore duriorem *Martinum* dixero; non linguâ, quàm crumenâ luxuriosiorem; si tot mulctis supplicijsque, quot hîc sibi contraxit, sufficere possit. Videtis igitur (adolescentes) hunc hominem omnium Rerumpub. ętatúmque legibus tanquam ferreis catenis vndique comprehendi. Restat tantùm commune Ius huius regni, quod quia mihi minus est familiare, Iusticiarijs nostris prudentissimis fideliter exequendum potiùs relinquam, cùm *Martinum* deprehenderint, quàm hîc fusiùs explicandum: præsertim cùm mihi sit animus ostendere non quantum corporis periculum, sed quàm immensam mentium vestrarum iacturam horum libellorum lectio vobis afferre possit.

NVnc tandem videre liceat, *Martinus*, non quàm peritus artifex sit suæ disciplinæ, non quàm eruditus theologus: sed quantus sit Christianus potiùs, & an à Deo sit; boníque viri institutum cum ęquissimâ sacrarum literarum normâ quàm aptè conueniat. Turpe enim est tantas támque inauditas in Ecclesia Christianâ mutationes cogitare, & ipsius Christi exemplum in rebus emendandis minimè sequi. At nunquam ille Rerumpub. motus conabatur, nũquam vel tyrannicæ potestatis despicationem exoptabat,

nun-

nūquam hominis cuiuſquam famam verbo violabat.
Doctrinæ ſuæ ſanctimoniam tam innocenti morum
candore temperabat, vt totus vitæ ſuæ curſus longè
clariſſimum charitatis & patientiæ ſpeculum eluce-
at. Hæ etenim duæ ſunt virtutes, à quibus vberrimi
dulciſſimíq; fidei vitæque chriſtianæ fructus effloreſ-
cunt, & vniuerſa profeſſionis noſtræ ratio continetur.
Siquidem altera nos erga Deum & vicinum arden-
tiſſimo dilectionis feruore concitet; altera duriſſi-
mos quóſque cruciatus propter *Chriſtum* & libentiſ-
mè ſubeat, & fortiſſimè ſuſtineat. Hijs duabus ſi to-
tum officium hominis fidelis definiatur; tùm qui neu-
trâ earum coloratur, oſtentationem fortè aliquam re-
ligionis inanem & Phariſaicam præ ſe tulerit; ſed ſo-
lidum & purum Euangelij ſuccum non adhuc degu-
ſtauit, nec veram fidei ἐνέργειαν vnquam perſenſit.

Martinum me deridentem videre videor, quem im-
pudicos libellos ſuos ad veræ Theologiæ trutinam
reuocare intelligit: quippe quem tam inſtitutū ſuum,
quàm progreſſus totius operis facilè demonſtrat ni-
hil minùs, quàm vel religionem, vel charitatem ſom-
niaſſe. At quorſum tunc tam multa de *Correctione* tùm
perſonarum, tùm rerum eccleſiaſticarum? Quorſum?
ſtupidum & inſenſatum me eſſe oportet, qui hæc in-
terrogem, ac ſi neſcirem *Martinum* atque omnes ſui
ſimiles in omne nefas eſſe proiectos, ad religionem
extirpandam ipſius religionis puriorem ſpeciē præ-
tendere, quidlibet audere, quoſuis ſanctiſſimos Do-
mini vnctos conuicijs proſcindere; quod ſacrum eſt,
violare ac proſtituere, vt ad illam ἀσεβείας confuſionem
tandem peruenire poſſint, quam diu iam expetiue-
runt, & quotidiè machinantur. Siccine eſt, *Martine?*
Stuporem hunc tamen charitati noſtræ, velim, igno-
ſcas: quòd illa me ſuadebat eccleſiaſticæ diſciplinæ

 refor-

reformationem nemini tam frequentem in ore fuiſſe; qui religionis præcepta contemneret. Et, ſi hanc culpam mihi condonaueris, in mercedem tibi promittã, me in poſterum depoſiturum illam, quam habebam tuæ vel religionis, vel pietatis opinionem. Sed ſi tuæ impudentiæ tam concinnum & decorum exiſtimes, illorum pietatem eleuare, qui ex ſacro Dei verbo tibi litem intentant: liceat tamen de tam inſigni prauitate tuâ monere iuuenes Academicos, ne forſan (vt eſt natura hominum nouitatis auida) tuis ineptijs illud tẽporis impendant, quod honeſtiori ſanctioríq; diſciplinę tribuendũ eſt. Quamuis quę grauior fuerit iniuria tot adoleſcentibus & natis & educatis ad laudatarum rerum ſcientiam; quàm diffidere, ne tam ludicris & inſulſis nugis capiantur? Eſt tamen imbecillitas huius ætatis ad lapſum procliuior, & neminem vnquam tam indoctum, tam abſurdũ, tam perditum hæreticum vlla ætas tulit, qui non aliquem ſuæ veſaniæ fautorem inuenit, non aliquem defenſorem reliquit. Et vt verè fatear, quod ſentio; peruenit ad aures noſtras ſuſpicio non leuis aliquos eſſe veſtrum, quos illius ineptiæ tenent irretitos. Quæ peſtis ſi repſerit paulò longiùs, & medullas aliquando ceperit; actum eſt ilico de bonis artibus, quarum ſtudio iam antea flagrauiſtis; actum eſt de modeſtiâ veſtrâ, morúmq; probitate, cuius ſummam laudem aliquando meruiſtis; actum eſt de illâ expectatione veſtrorum omnium, & ipſius reipub. noſtræ, quam ad literarum perfectionem, vitæq; ſummã integritatem iam diu ſuſtinuiſtis. Non igitur ægrè feratis (eruditi Iuuenes) hanc noſtrã monitionem vtcunq; ſuperfluam, minúſq; neceſſariã. Siquidem illa tum amoris erga vos, tum erga vtrámq; Academiã pietatis meæ expreſſam teſtificationẽ habeat; in quibus non ſolùm religionis noſtrę conſtanti-

am, ſed & totius reip. fœlicitatem collocare ſoleo.

Duplex hîc mihi occurrit conſideratio: quarum altera eſt de modo atque ratione illius, quam *Martinus* in ſe ſuſcepit, inquiſitionis: altera de veritate criminum, quibus viros multos omni laude dignos, déque eccleſiâ noſtrâ optimè meritos onerauit. Quamobrem ponamus priore hoc loco ſingulas illas criminationes eſſe iuſtiſſimas, quas ſacris Epiſcopis aliiſq; eminentiſſimis eccleſiæ noſtræ paſtoribus affixerit: Quærere tamen liceat, quod diplôma, quæ autoritas eſt, quâ fultus *Martinus* tot reos vno impetu pro tribunali ſuo ſiſtat? Spiritus. At ſanè immundus. Chriſtiana libertas. Pſeudochriſtiana fortaſſis; Siquidem Chriſtiana non eſt, quæ ab ipſius *Chriſti* dogmate tam turpiter aberrat. Ipſe ſaluator humani generis Deus atque homo ad legis *Moſaicæ* ceremonias antiquandas nō deſcendit, niſi miſſus à patre. Diſcipuli eius non ſunt illū ſequuti, priuſquā vocarentur; nō manus ad meſſem animarū iniuſſi poſuerunt. Nullus ſubſequutus eſt *Apoſtolus* vel pius miniſter, qui vel extraordinariā miraculis illuſtratā, vel ordinariā ſuā vocationē oſtendere non potuit. Vnicus eſt *Martinus* inter omnes ab initio mundi ſaltē bonus, qui nō accerſitus in Domini vineam irrepſit, omnia in eadem pro arbitrio ſuo, id eſt, vix boni viri, mutaturus, diſpoſiturus.

Quid enim? Extraordinariam vocationē, *Martine*, iactitas? At calumnias: mendacia, atq; impias vociferationes tuas video; miracula tua non video. Niſi hoc forſan ſit miraculū, tuam impudentiā ipſam impudētiæ ideam ſuperaſſe. Sed quid? Ordinariam vendicas? At tum ab illo ſerpētino genere te parùm diſcrepare oportet, quod teſtatur *Herodotus* nō naſci, niſi corroſo priùs, & exeſo materno vtero. Neſcio quantas habes gratias ſpirituali patri tuo ſi quis tibi manus impoſuit;

ſed

ſed agis certè perexiguas, cùm illum ne fidelium quidem cœtu dignum exiſtimes. Arguis etenim eum iniuſtam, inutilem, planéq; Antichriſtianam autoritatem vſurpare; ſiquidem hoc loco cunctos Epiſcopos habes, craſſâq; malitia occæcatus non vides te ſic tuam propriam functionem, ſi quam habeas eccleſiaſticam, euertere.

Cedo tandem, *Martine*, vocatus nè acceſſiſti ad hoc opus tam egregium? Si minùs, non ſine fœdâ temeritatis atque impietatis notâ in alienas, præſertim Chriſti poſſeſſiones irruiſti. Cùm etenim nulla vel infima quidem & abiectiſſima totius humanæ vitę functio reperiatur, quam probè vel laudabiliter quiſquā tractare poteſt, qui ad eam præparatus, & inſtructus aliquo modo non acceſſerit: tùm ſanè ſummum illud auguſtiſſimúmq; munus vel ſcripturas interpretandi, vel næuos eccleſiæ perpurgandi; nemo niſi iam profligatus in omne nefas, planéq; deſperatus, proprio motu ac immundis (quod aiunt) manibus in ſe ſuſcepit. Illud etenim *Pauli* perpetuum eſt, & immutabile: πῶς δὲ κηρύξουσι, ἐὰν μὴ ἀποςαλῶσι. Quibus verbis beatus *Apoſtolus* non ſolùm viros ſanctos ad euangelij prædicationem immediatè ſuſcitatos; ſed perpetuam illam atque ordinariam miniſterij deriuationem ab ipſis *Apoſtolis*, ſucceſſionémq; comprehendit. Quoniam igitur ſtupenda illa atque extraordinaria vocandi ratio cum ipſis Apoſtolis quaſi mortua ſit; nemóque ab illorum temporibus, ſaltem probus, rerum diuinarum negotijs ſeſe immiſcuerit, niſi ſacri cuiuſquam Epiſcopi manibus antea ſuſceptis, ac perſenſis: tum *Martinus* aut oſtendat tempus, locum, autorem ſuæ inſtitutionis; aut ſaltem ab ouili, tanquam truculentus lupus, aut canis rabidus, arceatur.

Si vocatum ſe veniſſe *Martinus* dicat; quid tandem

vineam

vineam Domini depopulando grassatur, vt aper è syluâ? Quid ab eiusdem laboris socijs se segregat & disiungit? Quid sacram hanc, antiquam, & ædificatam ab ipsis Apostolis Ecclesię nostrę structuram tam fœdè peruellit ac discerpit? Nullum aliud inde præmium illi expectandum est, quàm formidolosa illa atq; horrida conuiuæ reiectio, quem *Matthæus* non indutum veste nuptiali, procubuisse memorat. Huius farinæ sunt, quos Diuus *Iohannes* ait *exijsse à nobis, sed è nobis non fuisse*. Si etenim *Martini* conatus ad singulas impuritatis atque nequitiæ notas à *D. Iudâ* designatas, tanquam ad Lydium lapidem, reuocemus: hominem ante tot sæcula, in eius temporis hæreticis & nebulonibus, non solum ὡς ἐν τύπῳ, sed ad viuum depictum, minutissimísque quasi partibus efformatum reperiemus: Arrepserunt illi: *Martinus* se ingessit. Illi dominationem contempserunt: *Martinus* eam pedibus conculcat. Illi de hominibus in autoritate positis malè sunt locuti: *Martinus* sacrorum Episcoporum existimationem multis iniuriarum hyperbolis lacerat, & conuellit. Illi, quæ ignorabant, blasphemabant: *Martinus* damnat, quę captum eius superant. Sed progrediamur. Dicit *Iohannes*, Ἐν τούτῳ φανερά ἐστι τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, καὶ τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου· πᾶς ὁ μὴ ποιῶν δικαιοσύνην οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ θεοῦ, καὶ ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. Deprehensum planè hîc *Martinum* mihi tenere videor, cùm è duobus alterum sit necessarium; nimirum vt vel amorem suum erga fratrem ostendat; aut saltem à Deo se non esse confiteatur.

Martinus, si sibi ipsi fidem adhibeamus, à Deo est; sed reuerendissimi patres Episcopi charitatem eius desiderant. Quippe quos vniuersos *Antichristos* appellat; singulos penè maledictis suis impurissimis, falsissimísq; configit. Sed (vt inquit *Paulus*) ἡ ἀγάπη τῷ πλησίον κακὸν οὐ κατεργάζεται. Aut igitur *Martinus* Episcopos non

amat illos, quorum existimationem tantum lædere cupit; aut saltem tantum amat, vt ardoris æstu quodam abreptus (sicut amicorum aliquando mos est) in obiurgationes erumpat. At euersionem, exiliũ, perniciémq; singulis minitatur. Incitatissimus hic feruor esse debet, qui cupit occidere quos amat. Sed vnde (quæso) tantus tanti támque chari amici stomachus? Ab assiduis fortè delictis Episcoporum. Quos procul dubio sæpiùs impingentes grauissimus *Martinus* clementer, humanissiméq; monuit, nec tamen ad bonam frugem sic reuocare potuit, quin ad nequitiam fierent quotidie proniores. Re verâ *Christus* rectissimam omnium monendi rationem nobis proponit apud *Matthæum*, hijs verbis: Ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, ὕπαγε, καὶ ἔλεγξον αὐτὸν μεταξὺ σοῦ καὶ αὐτοῦ μόνου. ἐάν σου ἀκούσῃ, ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου. ἐὰν δὲ μὴ ἀκούσῃ, παράλαβε μετὰ σοῦ ἔτι ἕνα, ἢ δύο, ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα. Ἐὰν δὲ παρακούσῃ αὐτῶν, εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ. Ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης. Amicissimos, prudentissimos, sanctissimósque reprehensionis gradus hoc saluatoris nostri præcepto contemplamur; quos si se *Martinus* obseruasse ostenderit, dicam sanè illum esse probiorem, quàm putaram.

Libenter igitur scire cupio, quando nostrum *Archiepiscopum Cantuariensem* in aliquâ muneris sui functione titubantem, vel in aliquo vitæ officio claudicantem inter se & illum, vel ascitis testibus admonuerit? Quando apud aliquos Magistratus ecclesiæ personam repræsentantes accusauit? Solenniora fortassè sunt hæc, & non solùm altiorem indagationem, sed & pleniores probationes exposcunt. Magis compendiariam igitur viam *Martinus* duxit persequendã; & non vel priuatas monitiones, vel testes, vel Iudicem aliquem morari, sed ipse potiùs omnes partes agere statuit; &, vt accusator, testis, atque Iudex in angulo

&

& gurguſtio (neſcio quo) tot viros innocentiſſimos indictâ cauſâ, condemnare; deinde ſententias ſuas calumniæ nequitiæque refertiſſimas in vulgus (ſic vt videtis) efferre atque publicare. At diuus *Paulus* charitatis ſpecioſiſſimam imaginem ipſiſſimis ſuis coloribus depictam nobis reliquit, cum dixerit: ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, χρηστεύεται. ἡ ἀγάπη οὐ ζηλοῖ. ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται, οὐκ ἀσχημονεῖ, οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, οὐ παροξύνεται, οὐ λογίζεται τὸ κακὸν, οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ, πάντα στέγει, πάντα πιστεύει, πάντα ἐλπίζει, πάντα ὑπομένει. In quas ſingulas charitatis proprietates *Martinus* impegit, vt tandem nauiter impudens eſſe, omnes omnium nequitias ſuperare, & ipſum diabolum ſpirare videatur. Oſtendat etenim mihi *Martiniſta* vel omnium pertinaciſſimus, magiſtrum ſuum vel vnicum in vtróq; libello ſuo veſtigium Apoſtoli preſsiſſe, & vincat.

Cùm igitur ex ſacro Dei verbo didiceritis illum à Deo non eſſe, qui fratrem ſuum oderit, inſectatur, atque iniurioſe mordet; *Martinum* etiam intelligatis non in plebeios aliquos Chriſtianos, ſed in ipſos exercitus Chriſtiani ductores malitię ſuę virus tam iniquè, tam turpiter eructaſſe: quid eum tam aſſiduè legitis (Adoleſcentes?) quid in muſæis veſtris tam ſollicitè retinetis, & occultatis? Quid non eijcitis potiùs, atque *Neptuno* vel *Vulcano* deuorandum primo quoq; momento traditis? Multi quidem autores, illíque minimè contemnendi viliorem apud vos habent exiſtimationem, quòd ſanctam & ſynceram *Chriſti* doctrinam vbique non obſeruant. *Martini* igitur libellos non ſolùm doctrinam *Chriſti* non obſeruantes, ſed impugnantes, & (quantum fieri poteſt) obruentes, ſpernite, fugite, condemnate. Sed odium *Martini* in integerrimos iſtos eccleſiæ noſtræ præſides, & alios nonnullos honeſtiſsimos eiuſdem alumnos vnuſquiſque veſtrum facilè viderit. Nemo tamen malitiæ ſuæ

vehementiam, atque acrimoniam ſatis pro dignitate ponderare poteſt, qui ipſorum virorum, in quos tam magna ſæuit, naturam, doctrinam, & ſanctitatem cognitas non habet.

Omnes quidem ipſe non noui. Multi etenim ſunt ab vtráque Academiâ in valdè diſiunctas iſtius terræ regiones iam olim profecti. Sed de aliquibus illorum, quorum conſuetudo mihi perſpectior fuit, nihil dubitabo vobis quod ſciam, exponere. Sic autem exponam, vt loquar tantùm, quod ſciam; nec tam ipſorum gratiam captare, quàm religionis iam nutantis atque vacillantis cauſam ſubleuare videar. Illud autem non peſſimè fit illorum hominum famam exiſtimationémque propugnando, quos â religione perſiſtentes, iſti verſutiſſimi falſarij cunctis viribus ſuis cõtendunt in voraciſſimum inuidiæ publicæ gurgitem præcipites deturbare & immergere.

Archiepiſcopus igitur *Cantuarienſis* (in cuius oculos *Martinus* tam furioſè inuolat) *Cantabrigiæ* iuuentutem ſuã in Collegio primùm *Penbrochienſi*, deinde *Petrenſi* tranſegit. Vbi quidem vixit tam laudabiliter, vt non citiùs ad virilem ætatem perueniret, quàm ad publicam Theologiæ lectionem, ac paulò pòſt ad præfecturam Aulæ *Penbrochienſis* deueheretur. In Scholis epiſtolam ad *Hebræos*, ac ἀποκάλυψιν diui *Iohannis* expoſuit tantâ cum admiratione omnium, vt peritiſſimos omnium Theologos in illis oraculis eruendis ſi non ſuperare, ſaltem adæquare iudicaretur. Collegium ſuum tam prudenter, tam iuſtè, támq; temperatè gubernauit: vt illa domus, licet ſcientiarum laude ſemper florens, viriſque doctiſſimis ornatiſſima, tantum ſplendorem diu non continuerit, ſed ad Collegium ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis emiſit, tanquam ad celſius theatrum, vnde virtutes eius longiùs elucere,

atque

atque conſpici poſſent. Quam prouinciam ſic adminiſtrauit, tanquam vitæ totius anteactæ rationem abſolutiſsimam exactiſſimámq; cunctis reddere cogitaret. Iam etenim cùm in luce & in omnium oculis cum Magiſtratu verſaretur; cùm libros contra tranſmarinas quaſdam nouitates huc inductas conſcriberet; cùm roſtra ſæpiſſimè aſcenderet; cùm quotidianis *Academiæ* negotijs ſemper intereſſet, plerumque etiam præeſſet: illis literarum, prudentiæ, iuſticiæque fructus in ſingulis ſuis actionibus declarauit; quos Deus vel dilectiſsimis ſuis ſeruis vendere, niſi pro multo ſudore, multis precibus, perpetuáque bene viuendi conſtantiâ, non ſolet. Non ita multò pòſt ad Decanatum *Lincolniæ* ſic deuenit; vt ab ipſâ illâ dignitate expeti, nō eam expetere videretur. Hunc etenim cum altero magiſtratu ſic retinuit, vt vtriuſque loci cœtum aduētu ſuo mirificè ſemper recrearet; diſceſſu męſtiſsimū relinqueret. Sed hîc tantas virtutes diu quieſcere honores paſsi non ſunt. Euocarunt etenim ad Epiſcopatum *Wigorniæ*: cùm recedentem illum inuſitata ſuorū multitudo non comitatu tantùm, ſed & infinitâ lachrymarum vi proſequeretur. Sex annos *Wigorniæ* ſic præteruectus eſt; vt inde nihil *Cantuariam* præter famam integerrimam, & intimum totius prouinciæ *Cambricæ* amorem exportaret. Ad ipſam μητρόπολιν tandem huius imperij non ambitio, non prenſationes, non corruptelæ; ſed virtutum ſuarum fama, ſed literę, ſed vitæ ſanctimonia perduxerunt. Quo in loco tam pręclarè ſe geſsit, vt *Martini* falſiſsima crimina in vitam eius innocentiſsimam, caſtiſsimámque collata ſtatim concidant; vtque ignis in aquam coniectus, continuò reſtinguantur.

Alter eorum, quorum exiſtimationē contra *Martini* impetus mihi defendendū officiū etiam mihi meū

imposuit, est *Episcopus Lincolniensis*; pro quo satis est dicere *Martinum* ipsum, & curiosissimum morum alienorum inuestigatorem, & austerissimum censorem de eo nihil posse conqueri, nisi quòd illud locutus sit, quod nunquam est locutus. Etsi etenim ipse mellitissimæ illi concioni non interfuerim, vnde virus tam perniciosum hęc aranea suffurata sit: ex testimonio tamen satis locupleti mihi constat, patrem illum ornatissimum in toto sermone suo nihil tale protulisse. Sed ad particulares illius calumnias descendere penitus esset infinitum.

Animaduertite igitur (obsecro) quis hic sit, cui *Martinus*, ne bono cuiquam probatóque viro parceret, impudentissimum mendacium affigere non dubitauit. Illum puerũ honestissimi sui parentes eduxerunt ad illud *Aetona* gymnasium celeberrimum; vbi paucis annis in Grammaticæ studio positis, & iam summâ spe factâ tum ad eloquentiam, tum ad alias scientias laudatissimas, in regale Collegium *Cantabrigiæ* merito suo cooptatus est, Illic, si bene memini, duodecim plus minus annos consumpsit. Quo in loco non diu vixit, priusquam naturæ bonitatem, vitæ integritatem, multásque literas omnibus comprobasset suis, exteris etiam commendasset. Fuit etenim ita sine dissimulatione pius, sine leuitate comis & vrbanus, sine profusione ingenuus, sine acerbitate grauis, sine iactatione doctus; vt cùm omnes iucundissimo suo consortio summopere delectaret; adolescentes tamen, si in quos incideret, effusiores, solâ suâ præsentiâ, tanquam frænis in officio continuerit. Vnde factum est, vt sibi forsan opportunè, cunctis tamẽ eius Collegij socijs pręproperè, *Cantabrigiam* relinquere putaretur. Eadem etenim ætate, in qua vulgare studiosorum genus fundamenta Theologiæ vix ponere

re solet, ille factus est Euangelij prędicator, idque tanto cum ommium applausu, vt maioribus suis facilè anteponeretur; iisque qui subsequuturi essent, vix vllam imitandi spem relinqueret. A *Cantabrigia* ad *Aetonenses* reuersus est, quibus tunc haud tam iucundus fuit illius aduentus, quàm paulò pòst molesta discessio. Illis etenim parietibus tantæ virtutes sic delitescere non potuerunt, quin statim ad Aulam Regiam illarum fama euolaret. Ita vt ad Ecclesiam *Vindisoriensem*, & ad *Aulam* Principis eueheretur. A quo die quod subsequutum est temporis, in luce totius Reip. sic transegit; vt *Martinus*, etsi maledicendo se ruperit, iustam aliquam reprehensionis causam in isto non inuenerit.

Tertius, de quo statueram aliquid dicere, est *Pernus*; qui licet timiditatis notam infœliciorem non euaserit: fuit tamen doctissimus, afflictis fidelibus benignus, & Academiæ *Cantabrigiensi* amicus maximè necessarius. Nam non solùm viuus in illius occupationibus se consumpsit; sed mortuus non contemnenda suę beneuolentiæ monumenta (si vera sit fama) testamento suo reliquit.

Quartus est *Copcotus*, cuius virtutes vobis (*Cantabrigienses* apud quos viuit) ita sunt perspectæ & cognitæ; vt nostra oratione, nisi in *Oxoniensium* gratiam, non egerent. Tantùm igitur hoc dico: illum esse virum innocentiorem, doctiorem, probiorem, & vndique digniorem; quàm vt in Christianâ Rep. mimicis istis ludibrijs exponi debeat. Et certè si quid sit, vnde nostra Ecclesia apud exteras malè audiat; hoc est, quòd in *Martinistis* istis exagitandis & cohibendis, plures *Copcoti* sedulitatem non imitentur. Sic enim fieri posset, vt Ecclesia nostra breui conualesceret, & pristinos vigores recuperaret; quam nunc ægram,

gram, collapsam, & quasi intermortuam conspicimus.

Quintus atque vltimus est, vir omni laudum genere præstantissimus, *Cosinus*; qui sanè pluribus non est cognitus, quàm probatus. Et nisi *Martinus* efferata nimis calumniandi libidine prurijsset; eum sanè, si non honoris causâ, nunquam appellasset. Non ita multi sunt anni, cùm *Cantabrigiæ* viueret in Collegio *Trinitatis*; vbi quidem omnes, qui vehementiori literarum ac virtutis studio commouebantur, illum, tanquam exemplum, sibi imitandum proposuerunt. Siquidem tam multiplici doctrinarum varietate claruit, vt nihil penè esset erudito homine dignum, in quo ille magnos progressus non fecerat. Quod in illo tanto fuit admirabilius, quia nunquam in studio fuit tam immensus, quin in ingenuas proborum hominum congressiones, honestásque recreationes, horas quasi succisiuas elargiretur. Ita fuit vrbanus, vt vel infimis affabilem se præstaret; ita prudens, vt cum grauissimis senibus non iniuriâ compararetur; ita probus, vt nulla vnquam vel leuissima grauioris delicti suspicio vitę eius adhæserit.

Hoccine virtutis præmium (Adolescentes?) hij sunt industriæ, atque studij nostri fructus; vt quemadmodum vnusquisque est maximè vir doctus; ita nequissimorum rabularum conuicijs plurimùm laboret atque configatur? Deus bone: Non possum, quin exclamem, O tempora, ô mores.

Elizabetha nostra omnium, quæ vnquam in *Europâ* vixerunt, principum religiosissima, prudentissima, iustissima, fælicissima, iam triginta annos integros clauum florentissimæ nostræ Reip. tenuit; Religio ab exteris nationibus quasi exulans, tot annos apud *Anglos* se collegit, atque recreauit; tam altas radices egit,

git, támque pulchros progressus fecit: & tamen nec *religiosa Elizabetha*, nec *Elizabethæ religio* prauissimorum nebulonum scelera sic coercere, aut comprimere potest, quin aliquis quotidiè exurgat dæmoniacâ phrenesi percitus, qui & decreta *Elizabethæ* sanctissima, & venustissimam religionis suæ fabricam conculcare audet, & obterere. Quis dubitat succensere nobis Deum Opt. Maximum, & pestem omnium atrocissimam Religionis confusionem ceruicibus nostris impendere; quos diuturna pax, quâ iam diu nos perbeati sumus; Euangelij libera prędicatio, quâ omnes nationes facilè superamus; perpetuum fidei orthodoxę semen, quo per totum terrarum orbem celebramur, sic confirmare non potuerunt; vt istis Ecclesiæ Christianæ perturbatoribus atque hostibus, operam, facultates, atque adeò latera nostra obijciamus? Habemúsne iræ diuinæ clarissimum exemplum in *Korah*, *Dathan*, & *Abiram* contra *Mosen* & *Aaron* concitatis, eorúmque autoritatem diuino consilio stabilitam detrectantibus: & nos Ecclesiæ Christianæ reliquias quasi è naufragio reseruatas, atque in hanc nostram Insulam appulsas, illorum faucibus vel quibuscunque viribus saltem legitimis eripere dubitamus, qui illas quotidie deuorare cupiunt? Eósque eoúsque excrescere patiemur, vt nec disciplinâ cohiberi, nec armis opprimi potuerint?

Sed hæc non tam aptè vestris, quàm magistratuum nostrorum auribus conueniunt. Reprimam igitur me, quantum potero; & illud agam, quod vestra ætas atque educatio potissimùm suadet.

Cùm internam fidei puritatem externæ nostræ actiones apertissimè declarent; tum nihil certè apertius, quàm *patientia*. Vnde Christus miserrimis dolorum angustijs obrutus, cecidisse quidem ad humum,

ſed non ingemuiſſe tamen legitur. Diuus *Paulus* infinitas, crudeliſsimáſque ærumnas patientiſsmè ſuſtinuit propter Euangelium. Etiam *D. Iacobus* in Epiſtolâ ſuâ non ſui tantùm temporis Chriſtianis; ſed & nobis, & futuris etiam omnibus Prophetas in exemplum τῆς κακοπαθείας, καὶ τῆς μακροθυμίας commendauit. Etiam ipſe Saluator apud *Lucam* nos iubet ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν. Ac ſi moneret ſub ipſâ cruce lætandum eſſe nobis, atque exultandum. Si denique continuam Eccleſiæ fideíque propagationem ab ipſis Apoſtolis ad hodiernum diem deriuatam contemplemur: nullum ſignum manifeſtius fidei orthodoxæ, vel veri martyrij certius argumentum, quàm *patientiam* reperiemus.

Sed ipſam effigiem Chriſtianitatis veriſsimæ, mihi videtur ad viuum depingere *Tertullianus* in ſuo Apologetico, cùm ait: *Externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiã impares copijs, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinã magis occidi liceret, quàm occidere? Potuimus inermes, nec rebelles, ſed tantummodò diſcordes ſolius diuortij inuidiâ aduerſus vos dimicaſſe. Si etenim tanta vis hominũ in aliquem orbis remoti ſinũ abrupiſſemus à vobis, ſuffudiſſet vtiq; damnationẽ veſtrã tot qualiumcunq; amiſſio ciuiũ.* Quibus verbis grauiſſimus ille Chriſtianorũ patronus ſeditionis ac tumultus ſuſpicionem illis inflictã diluit, & abſtergit; apertiſsiméq; declarat tantas illis temporibus fuiſſe fidelium multitudines, quantę non ſolùm pugnando, ſed tantùm deficiẽdo illud imperiũ in ſummas anguſtias adducere potuiſſent: cruciatibus tamen & tormentis, quæ tum plurimùm ſæuiebant, ſic frangi illos nõ poſſe, quin tolerantiâ potiùs animabus, quàm fugâ corporibus ſuis proſpicerẽt.

Ecquid

Ecquid poteſt huic diſciplinæ magis eſſe contrarium, quàm doctrina *Martiniſtarum?* Chriſtus verberibus enecatus os ſuum cõtra ſanguinolentos illos carnifices non aperuit: Iſti ne appellati quidẽ fremunt & obmurmurant. *Paulus* in ęrumnis ſuis ſe delectauit: hij in nullâ fortunæ fœcunditate conquieſcunt. Reliqui priſcorum temporũ Chriſtiani pacem communẽ vitę ſuę prętulerunt; iſti ſine tumultibus & plebis commotione vitam ſibi duram ac acerbam putant. Ita vt, ſi illis permitteretur quod optãt; boni viri mihi videãtur non tantùm externam adminiſtrationis Eccleſiaſticæ formã mutaturi; ſed & ipſa Chriſtianę religionis fundamenta peruerſuri; nouámq; nobis & inauditã; atq; huic, quàm à Maioribus noſtris acceptã tenemus, cõtrariã legis & Euangelij rationẽ inducturi. Quid multa? Date mihi, quam vultis, è ſacris ſcripturis morũ atq; vitę regulã; & ego facillimè vobis oſtendam, quàm turpiter, quàm flagitioſè *Martinus* eandem tranſiliuit. Cuius tã craſsis ineptijs ſi qui ſint veſtrũ, qui decipiãtur; illos certè quidẽ & Academiâ, & literis, & beatiſſimo hoc vitę genere prorſus indignos exiſtimauero.

Vnicum iam mihi reſtat telum, quo *Martinus* neceſſariò feriendus eſt, imò verò conſternẽdus. *Malum non eſt faciẽdum, vt bonum inde veniat.* Hoc ſpiritus ſanctus. At *Martinus*, vt munificam ſuam, quam nobis effinxit, pulcherrimámq; Eccleſię formam aſſequatur; cenſet quidem viros quoſq; innocẽtiſsimos non ſolùm in famæ, ſed & vitę ſuæ diſcrimen pertrahendos; arma ſumenda; quaſcũq; Reſpub. non permiſcendas tantùm, ſed & diripiendas, atque diſſoluendas; furias ipſas ab inferis excitandas; nullum deniq; ſcelus facinoroſum & immane non perpetrandum. Non dubitauit certè furcifer ad defendendam nequitiam ſuam, calumnioſas iſtas fictiones fucatâ pietatis ſpecie delibuere,

Diuumq; *Paulum* prætendere, *Omnibus omnia factum, vt omnes lucraretur.*

Sed dicit *Augustinus, hæc compatiendo Paulum fecisse, non mentiendo.* Fit enim quísque tanquam ille, cui vult subuenire, quando tantâ misericordiâ subuenit, quantâ sibi subueniri vellet, si esset ipse in eâdem miseriâ constitutus. Itaque fit tanquam ille, non quod fallit illum; sed quia se cogitat, sicut illum. Vtcunque igitur hic veterator vobis imponere studeat exemplis *Abrahæ*, Obstetricum *AEgyptiarum*, *Rahab* meretricis, Patriarchæ *Iacob*, *Dauidis*, *Pauli*, vel *Petri* denique atque *Barnabæ*, vestrásque acies huiusmodi præstigijs perstringere: vobis hoc sit perpetuum antidotum, huiusmodi scilicet: facta vel aliquid significare μυστικώτερον quàm ipsa litera indicat; vel saltem, vtcúnque ab hominibus sanctis perpetrata, diuinæ iusticiæ displicuisse. Spinæ etenim ficus non producunt; nec quod malum est, aliquid non malum suâ naturâ gignit. Hij autem pacem ecclesiæ dirimere non reformidant; dum imaginariam suam, friuolam, & phantasticam disciplinam stabilire confidunt. Ecquid est vitæ communi perniciosius, quàm non quid, sed quare quid faciamus, perpendere? Hoc etenim cuiusuis facinoris impunitatem daret, cui speciosam causam aliquam prætexueris.

Sed dicet mihi aliquis; Viris istis sanctis & spiritu sancto refertissimis lapsus suos concedemus; & vnici *Martini* facta ad tam seueram trutinam reuocabimus, quòd feruentissimo disciplinæ suæ desiderio abreptus, in iustam nonnullorum reprehensionem inciderit? Huius sanctitatem illis cancellis circumscribemus, vt quod omnium integerrimis aliquando cōtigit, illud huic tantùm denegemus? Hoc certè durum esset, & austerum nimis.

Sed aliud est (Adolescentes) ex imbecillitate, aliud ex malitiâ delinquere; aliud in vitâ labi semel, aliud nequitiâ vesci, totámque vitam in scelus profligare. Libros autem *Martini* qui legit, nihil aliud reperiet, quàm perpetuatum conuitium; sic autem vibratum, vt facilè videas ad huiusmodi scurrilitates conquirēdas, totam eius vitam theatris illis Londinensibus, & leuissimis scenis, vel scurrarum & nepotum circulis insidiatam.

Hic itaque mimus impurissimus illo in loco apud homines literatos esse debet, vt de rebus Ecclesiasticis balbutiens ac diuinis audiatur? Difficile est dicere, maiori dolore, an admiratione me percellerent illa noua, cùm primùm audirem tantam esse leuitatem nonnullorum Academicorum; vt non solùm *Martini* libros summâ cum delectatione legerent; sed eius etiam defensionem (quamuis timidiorem) in se susciperent. Vt enim est homo flagitiosus & impurus; ita certè omnium, quos vnquam noui, stupidissimus. Quid? Voluptatem legendo quæritis? Illam apud alios multò suauiorem dulcioremque inuenietis. Vtilitatem? Hic miserrimam, calamitosissimámque paupertatem vobis omnibus meditatur. Scientiam atque eruditionem? At *Martinus* literis ne quidem colorari videtur. Virtutem, vitęque sanctimoniam? Huius libelli viam ad scelus atque nequitiam docent. Primum etenim vęstigium ad effrænem illam, ac desperatam vitæ prauitatem est, superiorum, præsertim illorum qui animarum nostrarum curam habent, contemptus atque despicatio. Quod cùm vos semel rectè figere *Martinus* viderit; deinceps ad crassam morosissimámque φιλαυτίαν perducet; quæ si mentes vestras vel leuiter tinxerit, statim vos tanquam turbine correptos, vel vt milites *Vlyssis* à *Cyrce* fascinatos, ad pessimam

 simam

ſimam obſcæniſſimámq; morum turpitudinem præcipites pellit atque trahit.

Sic *Martinum* hunc, quàm potui veris atque germanis depinxi coloribus (dulciſſimi Adoleſcentes) in quos per Deum opt. max. vos obteſtor, vt puris & ſynceris oculis intueamini. Sic etenim fieri poſſe ſpero, vt monitionis huius noſtræ fructus feratis non ſolùm vobis ipſis; ſed & Reip. noſtræ & eccleſiæ Chriſti iucundiſſimos, vtiliſſimos, atq; ſanctiſſimos. Quos florentes atque exuberantes in vobis vt ego perſpiciam, à cœleſti patre noſtro ſummis precibus contendo per Chriſtum Ieſum. Quorum vtrique cum ſpiritu ſancto, ſit omnis honor & gloria nunc & in æuum. *Amen.*

Totus veſter,

A. L.

